

AK 497  
16

J 59, 16

f. 7.

(x 1880457)

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

De

**PROHIBITA  
VIOLATIONE  
JURIS SEPULTURÆ,**

Quam

DIVINA ASSISTENTE GRATIA,

*Decernente Magnifica & Amplissima, celeberrimæ  
hujus Academiae Facultate Juridica,*

*Sub P R Æ S I D I O*

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI AC CONSULTISSIMI

**DN. HENRICI BODINI,**

JCti famigeratissimi, Juris Canonici Professoris Ordin. &  
Facult. Juridicæ h. t. DECANI,

*Fautoris ac Hospitis sui maxime colendi,*

Pro LICENTIA

In Utroque Jure Gradum Honores ac Privilegia a-  
dipiscendi

Publicæ eruditorum censuræ submittit

**JACOBUS NEDDERHOFF**

Herv. Westph.

*Rintelii Ad diem 1. Dec. Anno 1687.*

*Horis locoque solitis.*

Recusa Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Ac. Typ.

II k  
3862





6.11

BIBLIOTHECA  
UNIVERSITATIS  
MAGNIFICENTIAE  
SACRAE  
CATHOLICAE  
APOSTOLICAE  
SIS  
SACRAE  
CATHOLICAE  
APOSTOLICAE  
SIS

LIBRARY  
STAMP

pot  
uti  
non  
red  
ad  
lest  
ad  
les  
mu  
qui  
tia  
nin  
fus  
ven  
ver







## PRÆFATIO.



Omnem ad imaginem DEI conditum omnibus animantibus longe præstare extra omne dubium est, & ideo naturali rationi per se congruit, potius membra ejus, qui ad imaginem DEI factus est, & quæ in dominium omnium! sublunarium dispositæ rant, etiam post mortem honestius tractare, quam ea defensionis jam incapaciæ cujuslibet injuriæ exponere; Nam corpora humana Christi membra sunt & habitaculum Spir. Sancti, uti loquitur *Paulus 1. Cor. VI. v. 13, 15. & 19. Ephes. V. v. 30.* adeoq; non ferarum more abjicienda, quia potius in futuram resurrectionem sancte custodienda, quo defunctorum corpora, qui ad creatorem suum jam redierunt, ab omni injuriarum & molestiarum genere immunes sint *Vid. Matth. Steph. in Comment. ad Nov. 60. pr. H. Grot. de J. B. & P. L. 2. C. 19.* Et hinc leges civiles (inquit *Leo Imper. in Nov. 53. pr.*) non ea modo, quæ communi subditorum vitæ profunt, præscribere, verum de iis etiam qui jam vitam finierunt, humanæ commiserationi convenientia decernere decet. Equidem defunctis parum aut nihil omnino prodest, eos a nobis curari, siquidem inanimes nihil prorsus sentiunt, sibine quid boni an mali obveniat, ideo tamen viventibus non idem erit, circa defunctorum corpora pro lubitu versari; Nec enim Christianitati saltem, sed & humanitati ad-

A

versatur,



versatur, mortuos irreverenter habere, imo quocunque modo circa eos committere, quod nos docent passim sacrae & profanae leges ac historiae. Officium sepeliendi mortuos (inquit *Grot. cit. loc. §. 2*) non tam homini, i. e. personae defunctae, quam humanitati, i. e. naturae humanae praestatur, unde publica haec humanitas dicta. Et si a ratione alienum est, arcana humanae naturae post mortem omnibus conspicua exponi, cum ratione naturali quam maxime conveniet, corpora defunctorum in sepulchra seu dicimus post mortem sibi destinatas (uti vocantur in *l. 4. C. de Sep. Viol.*) inferre, quo clam & procul a conspectu hominum tabescant. Et haud difficile erit, pro confirmatione hujus juris exempla ex sacris deducere; De Abrahamo, quanta is cura ac sollicitudine in acquisitione sepulturae mortuae Sara in id intentus fuerit, quo eam honeste conderet, legimus *Genes. 23.* taceo jam alia exempla Sanctorum in sacris passim occurrentia, quae omnia hic recensere nimis prolixum foret *Conf. Genes. I. v. 17. Syrac. 38. v. 16. c. 7. v. 37. Luc. 23. v. 53. Job. XIX. v. 41. Ephes. V. v. 30. 1. Cor. VI. v. 19. Friedlieb. Med. Theol. in Loco de Minister. Eccles. Cas. Consc. 75.* Minus difficile erit ex profanis historicis jus sepulturae hic longa exemplorum serie adstruere, sed cum ea ad scopum nostrum non pertineant, id agere supersedeo. Quo igitur mandato Magnifici Juris Doctorum Ordinis & optima consuetudini satisfiat, qua quilibet ad licentiam capescendi in utroque jure gradum & privilegia adspirans, adstrictus est, ut de suisque profectibus publice specimen aliquod edat, constitui hanc in rem materiam utilissimam de Prohibita violatione juris sepulturae, paucis proponere, ubi in specie, aphorismis praesertim posterioribus, ansa dabitur de illa violatione sepulturae loqui, quae fit cadaver ob debitum detinendo, arrectando vel quovis alio modo vexando, cui in fine lubet Responsum Juris non ita pridem ab Amplissima Facultate Juridica Heidelbergensi datum, hucque apprimè faciens subjungere, non dubitans, quin huic rei non inconveniens futurum sit; Faxit D. O. M. quo omnia cedant feliciter!



\* (5) \*

# DE PROHIBITA VIOLATIONE JURIS SEPULTURÆ.

APHOR. I.

**V**iolationem cadaveris humani, non solum si illud jam terræ mandatum, sed & antea quodlibet impedimentum sepulturæ legitimè faciendæ obvium, remove-  
veteres omni conamine studuerunt, idque eo fortius, quo magis ipsi naturæ humanæ, quam maximè adversari existi-  
marunt, & defunctorum corpora non humari, & humata abs-  
que omni injuria secura non jacere. Fuitque semper apud om-  
nes (moratiores quidem) gentes tanta sepulturæ cadaveris  
humani veneratio, ut in eâ moram necesse pro crudeli semper  
facto habitum sit, *Rittershus. Expos. Nov. P. 14. C. 6. num. 2.* Imò  
quod omnem humanitatem tollat animam exhalantibus ne qui-  
dem parcere, & a defunctis vim abstinere; Notum est ex *l. 18. §  
21. ff. de in jus voc.* quod domus sua cuique tutissimum fit resu-  
gium atque receptaculum, concessum hoc est viventibus, nec  
video quo jure id denegari possit defunctis? His, inquam, qui  
ipsum naturæ debitum, adeoque ultimum in hoc mundo per-  
solverunt, quin & hi in sepulchra. i. e. domus suas *l. 4. C. de Sep.*  
*Viol.* absque impedimento ferantur, ibidemque tuto quiescant.  
Sive sumas jus sepulturæ (1) pro officio sepeliendi, sive (2) pro  
loco sepulturæ, sive (3) pro ipso jure, quod cuique ratione se-  
pulturæ competit, sub qua triplici distinctione illud exhibet,  
*Barbos. de Offic. & Potest. Paroch. P. 3. C. 26. n. 2.* nullum horum  
defunctis jure denegari posse existimo; Primum enim officium  
sepeliendi, charitatis est, pertinens ad mandatum divinum quod  
summo æquale est *Matth. 22. v. 40. Diliges proximum tuum, sicut  
te ipsum.* Et (2) Locus sepulturæ itidem cuilibet concedendus  
per *cap. 8. X. de Simon.* (3) Jus Sepulturæ cuique natura tribuit,  
uti infra ulterius demonstrabimus. Hominem enim mortuum

A 2

sepe-



4 DISS. DE PROHIBITA VIOLATIONE

sepeliri debere, natura, humanitas, verecundia & salubritas Reipubl. docet, nec etiam si sepulchri jactura mortuo levis sit, superstites tamen tam barbari esse debent, ut nullam habeant humanitatis rationem inquit *Pek. de Jure Sist. c. 5. n. 23.* ubi & Baldum allegat dicentem: Non minus Reipubl. expedire mortuos humari, quam vivos conservari, ideoque cadavera sine ullo obstaculo in memoriam humanæ conditionis esse sepelienda ibidemque pie asservanda *arg. l. 27. ff. de cond. t. inst.* Imo Christianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum, sunt verba *Can. Qui divina 28. caus. 13. qu. 2.* Leo Imperator tam animo alienus fuit ab hoc delicto, ut pro summo naturæ dedecore summaq; injuria ac inclementia reputarit, mortuos non sepeliri, aut sepultos non juste conservari, præsertim cum mortui famuli DEI quandoque appellentur, & propter gloriam cœlestem, qua fruuntur, coli debeant, quomodo id, inquit, expiationi obnoxium non erit *vid. Novell. Leon. 53.* Non contemnenda igitur & abjicienda (insepulta sc.) corpora defunctorum maxime justorum ac fidelium *Vid. Can. Anima defunctorum. 22. Caus. 13. qu. 2. Surd. Dec. 255. num. 9.* ubi ait Privationem sepulturæ magnam poenam & ignominiosam esse; Quod si hoc, nulli sana privato concedendum, corpora defunctorum violare, quomodocunque id tandem fiat. *vid. t. t. & imprimis l. 6. cum Authb. seqq. C. de Sep. Viol. ubi de Arrestatione cadaveris ob debitum.* Vix enim ob nullum debitum civile privatum tam graviter quis puniendus, cum vivus quis & obœratus ut plurimum per cessionem bonorum liberetur, & quomodo non liberetur defunctus, bonis plenissime cedens?

APHOR. II.

Equidem tempore LL. XII. Tabb. immanem ejusmodi consuetudinem obtinuisse, quod non solum ex Lege permitteretur corpus debitoris in supplicium dare, in partes secare, interque creditores partiri, testatur *A. Gellius Noct. Attic. L. 20. C. 1. &*

ex eo



*ex 00 Gail. de Pac. publ. L. 2. C. 2. n. 23. in fin. Id. de Arrest. Imper. C. 11. n. 28.* Itidem quoque in Angliæ quibusdam provinciis ob-  
 tinere, ut corpora maneat insepulta, donec creditoribus sa-  
 tis fiat testis est Peck. *de Jur. Syst. C. 5. n. 23.* quod & ab Ægyptiis  
 olim factum fuisse dicit Schneidew. *ad §. 1. 1. de Interdict. n. 41.*  
 Eamque impiam consuetudinem, sc. jus sepulturæ, utpote exi-  
 guum, non usque adeo curandum, sed insuper haberi posse,  
 an quis post mortem sepultus fuerit nec ne, Seneca Libro de  
 Remed. Fortuit. his rationibus adstruere conatur: Quod par-  
 vi sit jactura sepulchri; Quod cœlum tegat eum, qui non ha-  
 bet urnam; Sepulchrum sentienti onus, non sentienti superva-  
 cuum esse, denique sepulturam non vivorum, sed mortuorum  
 causa inventam esse; Sed quo leviora horum argumentorum  
 pondera, eo magis quoque detestandos ejusmodi mores esse pu-  
 to, qui non nisi insignem crudelitatem sapiunt; Siquidem se-  
 pulturæ faciendæ mos vetustissimus Vid. Richter. *Vol. 2. Confil. 23.*  
*Barbos. de Offic. & Potest. Paroch P. 3. C. 26. n. 56.* omnique sa-  
 næ rationi apprime conveniens, utpote quod cum humanitate  
 ipsa (quam natura omnino suadet) conveniat, nec non omni-  
 bus hominibus jamdudum circa eam jus quæsitum est, quod  
 temere nemini auferendum, quandoquidem ex consuetudine  
 ab omni seculo usitatissima acquisitum, quod patet vel solis e-  
 xemplis non modo omnium sanctorum & illustrium Veteris &  
 N. Testamenti, quorum post mortem corpora ad unum omnia,  
 terræ matri unde originem sumpserant, reddita, ibidemque pie  
 asservata Vid. *Genes. c. V. c. XIII. v. 2. Tob. I. v. 20. c. IV. v. 3. Sirach. VII. v. 36. c. 38. v. 16.* & *passim in sacris*, sed & exemplo quam maxime  
 imitatu digno, pio ac necessario, ipsius nempe Jehovæ, qui Mo-  
 sen, cujus similis postea non existit in Israel *Deuter. c. ult. v. 10.*  
 ipsemet sepelivit *ib. v. 6.* quo non obscure innuit, quem modum  
 circa defunctorum corpora servari velit. Et quid magis hunc  
 modum confirmare posset, quam exemplum ipsius Filii DEI,



qui eodem modo sanctissimum corpus suum in sepulchro as-  
servari non dedignatus est, usque ad tempus gloriosæ resurre-  
ctionis suæ; Si itaque ipse Deus sepulturam adeo præcepit, non  
alio, quam ad jus naturæ, (cujus & ipsemet autor est) referen-  
dum existimo jus sepeliendi mortuos. Et cum præterea D. O.  
M. hominem ad imaginem sui conditum, & post lapsum in pec-  
cata facillime pronum, ab his cohibere, omnemque peccandi  
ansam præscindere voluerit, vestimentis cum induendo *Genes. 3.*  
*v. 21.* ne jam intelligens quod sit nudus *ibid. v. 7.* facilius in pec-  
cata carnis prorumperet, non dubito, quin & hinc congrue ra-  
tio aliqua mandati divini de mortuis sepeliendis inferri, hocq;  
per bonam consequentiam deduci possit. Quæ enim quæso  
maligni non sæpius scandala præberent piis, si ad corpora de-  
functorum cuique liber esset aditus? Non prodest singula in-  
convenientia hoc casu oriunda exponere, cum cuilibet hoc fa-  
cile dijudicare fas sit? Sic de detestabili concubitu cum mortua  
legatur *Clar. 5. Sentent. §. Fornicatio.* nec non de horrenda Ci-  
clopum antropophagia *Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 19 §. 2. pr.* & ma-  
litia hominum indies crescente, illos non modo tanta, sed &  
quandoque graviora tentare, quotidiana testatur experientia.  
Non itaque sola Reipubl. utilitas & necessitas externa huic rei  
causam dedere, sed & quo peccandi ansa variis modis cohibe-  
retur, quod sane ex solo jure gentium non est, sed & ex Dei &  
naturæ jure ortum suum trahit. Quando ergo ajunt DD. jus  
sepulturæ ex jure gentium oriundum esse, id intelligendum,  
quod primævum vocant, quod nihil aliud est quam ipsum jus  
naturale *Grot. de J. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 10. seqq.* Esse autem sepultu-  
ram juris naturalis probatur tam a priori quam a posteriori, i.  
e. tam a causa, quam ab effectu *Vid. Grot. d. l. §. 12. ubi agit de pro-  
batione juris naturalis.* Sic enim Jehovah Adamo omnium ho-  
minum primo divinam voluntatem suam hoc oraculo jam pa-  
tesfecit *Terra es & in terram converteris, Genes. III, 19.* quod po-

stea



stea expresse mandato alio confirmavit, ubi in specie defuncti  
 terræ mandari jubentur *Deuter. C. 21. v. ult. conf. Galat. 3. v. 13.*  
 quam legem secutus Josua captis & suspensis quinque Regibus  
 Amoritarum, quos in furca pernoctare lex jam allegata non  
 permittebat *vid. Jos. X, v. 26. 27.* Et quamvis hanc legem ad Mo-  
 saicas forenses spectare pluriq; asserant tamen & hic morale quid  
 subesse, patet ex subjecta generali hac ratione: *Ne polluas ter-  
 ram tuam, quam Iehovah Deus tibi dat in possessionem, d. C. 21. v. ult.*  
*Conf. Brunnem. de Proc. Inquis. C. 10. num. 32.* ubi addit: Nullam  
 posse tantam esse immanitatem sceleris, *in defuncto scil.* ob  
 quam posteri humanitatis oblivisci debeant, ubi ad summam  
 humanitatem refert mortuos sepeliri, etiamsi propter delictum  
 atrocissimum ad mortem condemnatus quis sit; Quanto magis  
 ergo humanitas illa exhibenda illis, qui nullius criminis rei diem  
 suum obierunt? Cui mandato divino postea accessit necessitas &  
 utilitas Reipubl. ne ex foetore cadaverum contagiones magna-  
 que mala in Republ. oriantur. Et hunc modum sepeliendi non  
 modo Christiani in Ecclesia antiqua & hodiernum, sed & pluri-  
 mi Paganorum religiosissime in hunc usque diem custodiverunt  
 teste Gerhard. *Loc. Theol. Tom. 8. Tit. de morte n. 8.* Imo & in-  
 ter bruta observare licet, nonnulla illorum aliquam quasi reve-  
 rentiam circa mortuos suos habere. Ita de formicis testantur Phy-  
 sici, etsi mortuas suas in cavernis non patientur propter mundi-  
 tiem, cui hoc animal deditum præ reliquis, tamen nec temere  
 eas quoque abjiciant, sed in vicinia in folliculis frumentorum  
 eas sepeliant, idque facere proximiores, sicuti filii parentes in lo-  
 co aliquo honesto seu monumento familiae *Franz Histor. Ani-  
 mal. P. 5. C. 8.* ubi hoc morale addit: Quod liceat inter homi-  
 nes reperire, qui non pietatem hanc propinquis suis, Collegis,  
 Civibus &c. nedum peregrinis vel extraneis præstent, eoque o-  
 mni jure brutis deteriores censendos esse. De Accipitre refert  
 idem *Aut. P. 2. c. 12.* quod etiamsi cadaveribus aliorum anima-  
 lium



lium maxime inhiet, animalque rapacissimum sit, si tamen con-  
tigerit, cum fortean in cadaver hominis incidere, misericordia  
quasi ductum oculis ejus terram ingerere, quodque (addit cit.  
Aut.) à multis hominibus sæpius negligatur quando dicitur.

*Pugna suum finem, cum jacet hostis habet.*

Sed utut animalium quædam idem fere agant cum hominibus,  
non tamen dicendum, jus sepulturæ ejus juris, sed potius instin-  
ctus naturalis esse qui & in brutis animantibus cernitur seu uti  
*in pr. l. de jur. N. G. & civ.* dicitur, quod natura omnia anima-  
lia docuit, non enim ex ratione id agunt, sed ex divino naturæ  
instinctu, hominibus forte in exemplum *Vid. Grot. L. 1. C. 1. §. 11.*  
*& DD. passim ad pr. l. de l. N. G. & Civ.*

### APHOR. III.

Licet non desint, qui sepulturam denegent in pœnam illis,  
qui in terris ejusmodi vitam vixerunt, quâ indigni post mor-  
tem sepultura judicentur, quemadmodum Vespasianus Imper.  
suo tempore pœnæ quorundam conjuratorum addidit, ut in se-  
pulti post mortem projicerentur *Sueton. in vita Vespas. c. 2. in  
fin. Conf. Gothofr. ad tit. ff. de Cadav. Punit.* attamen vitupe-  
randos magis quam laudandos esse ejusmodi mores, disputarunt  
jamdudum non Politici tantum sed & Theologi teste *H. Grot.  
d. c. 19. num. 4. cum ibid. alleg.* Et licet Deus impios quosdam  
sepulturæ jactura puniri jusserit ac nonnullis talem pœnam com-  
minatus fuerit *Vid. 2. Reg. 9. v. 9. 35. 36. & 37. 1. Reg. 4. v. 1. Jerem.  
22. v. 19. & c.* fecit hoc partim suo jure supra leges constitutus,  
quod homini ad exemplum non trahendum, partim pro præ-  
dictione atrocissimi mali habendum *Vid. Grot. d. l. in fin.* Ju-  
re Civili tantus est favor sepulturæ, ut non modo in genere  
quemlibet sepeliri leges jubeant, sed & in sepulchris hereditariis  
& familiæ etiam liberi juste exheredati, & qui ab hæreditate  
paterna omnino abstinent, sepeliri non prohibentur. *Vid. l. 4.  
& 6. ff. de Relig. & Sumpt. funer. & corpora illorum, qui capi-*  
tis



tis damnantur, cognatis neganda non esse ait Ulpianus *in l. 1. pr. ff. de Cadav. Punit.* imo quibuslibet petentibus ea concedenda esse censuit Paulus *Jctus in l. 3. ff. eod.* Diocletianus quoque & Maximinianus ita responderunt: *Obnoxios criminum digno supplicio affectos sepulture tradi non vetamus in l. 11. C. de Relig. & Sumpt. funer.* Cadaver enim insepultum relinquendo ipse Jehovali naturæ conditor injuriâ afficitur, mandatum ejus sanctissimum violatur, ipsique naturæ humanæ injuria infertur, adimendo alicui, quod illa omnibus tribuit beneficii loco *Richter Vol. 2. Conf. 233.* Et apud omnes gentes, quæ quidem non sunt humanitate barbaræ, sed ad cultum aliquem humanitatis assuetæ, magna religione prospectum cautumque fuit, quo mandatum illud divinum pie servetur, neque contra naturam circa defunctorum cadavera aliquid indecori admitteretur dicit *Ritersbus in Comment. ad LL. XII. Tabb. Class. 1. C. 3. pr.* quam consuetudinem antiquam & laudabilem dicit *Stuck. Conf. 24. n. 65.* eamque omnino in consequentiam trahendam esse. *Conf. Richter. d. l. num. 4.* Nec moramur eos, qui ipsimet nihil sua post mortem interesse arbitrantur, humine an in sublimi putrescant, utrum feris & volucris in cibum projiciantur, an vero honeste reliquiæ suæ condantur; Nam horum opinionem non ulterius veram esse puto, quam in casu necessitatis, utpote cui omnes leges cedunt, si sc. haberi plane non possit sepultura, tum enim dicendum, exequias majus solatium esse vivis quam mortuis, extra hunc autem non negligenda, nam uti alimenta debentur vivis, ita sepultura mortuis *Stuck. Conf. 24. num. 77. seq.* Siquidem mors finis omnium mundanorum, & humatio cadaveris testimonium fidei, ac insepultum quenquam relinquere injuria & signum maledictionis divinæ est *vid. Stuck. d. l. n. 16. 45. seqq. num. 56. & 57.* Moratoribus etenim, maximè Romanis magna semper cura ac religio fuit circa cadavera defunctorum custodienda; Hinc humanitatis, misericordiæ ac pietatis inten-

B

tioni



tioni adscripserunt, si quis cadaver, maxime quod alienum seu extraneum foret, funerasset *l. 12. §. 5. ff. de Relig. & Sumpt. funer. l. 14. §. 7. l. 43. cod.* eique actionem funerariam cum privilegio prælationis quoad reliquos creditores tribuerunt, de eo quod circa funus impendisset, quo facilius ad funerandum invitarentur homines *Rittersbus. cit. loc. Class. 1. c. 3.* Et inde etiam jure Romano doti præferuntur impensæ funebres re alias maxime favorabili; Ita non audiendam esse mulierem, quæ malit insepultum relinqui maritum, quam damnum dotis incurrere, inquit *Bacchov. ad Treutl. Vol. 2. Disp. 24. tb. 7. lit. B. Franzk. ad Tit. ff. de Religios. n. 26.* Elegantissime de corporibus defunctorum humanandis nos monet Pontifex *in can. Non. estimemus 19. caus. 13. q. 2.* cujus verba potiora, cum una rationem præ se ferant, huc referre lubet: *corpori humando, inquit, quicquid impenditur, non quidem salutis præsidium est, sed humanitatis officium, ad quod natura ferimur omnes, nam nemo unquam suam carnem odio habet, ideo necessarium, ut pro carne proximi defuncti quilibet curam gerat, cum is in vivis esse desierit, qui ejus hætenus curam gesserit; Sique hoc Paganis, qui vitam post hanc aliam non credunt, in usu, quanto magis id illis incumbet, qui resurrectionem eternitatemque credunt, ut impensum ejusmodi officium in cadavera defunctorum sit quodammodo eorundem fidei testimonium &c.*

## APHOR. IV.

Ex dictis autem ne colligas, quocunque modo sepulturam instituere cuique licere, sed ea facienda publice non clam *Richter. Vol. 2. cons. 233.* Eam enim hodie palam fieri moris est, forsitan ad hoc, quo constet semper, an naturali, an vero violenta morte quis occubuerit, & an rite sepultura expedita; Qui pii ritus recte quidem & apud nos hodie servantur, v. g. ut hymni funebres cantentur, sermo funebris a ministro Ecclesiæ habeatur, non autem ex hac ratione, ut Pontificii tradunt, exequias solennes ideo faciendas esse, ut concurrant fideles & preces fundant

dant



dant pro animis defunctorum *Vid. Gratian. Discept. For. Tom. 2. c. 298. num. 6. & Cap. 343. n. 19. seqq. Cap. 210. n. 1. seqq.* quam opinionem solide refutat *Finkelhauf. Concl. Sep. 18. lit. B.* Nimis prolixè foret, nec scopum nostrum attingeret, omnia ex antiquitate deducere, quanta cura, quantaque sollicitudine veteres in id incubuerint, quo corpora defunctorum honeste conderentur, quibusque ceremoniis ac ritibus illud peractum sit, adeoque me brevitatìs causa ad scriptores Antiquitatum Romanarum remitto, *Job. Meursium de Funerib. Job. Kirchmannum de Funeribus Roman. & Rosin. Antiq. Rom. L. 5. C. ult. & Paralipom. ibid.* ubi inter alia ex Arminio veteri Poeta hoc disticho sepulturæ jus adstruit:

*Humano generi posuit natura creatrix*

*Hanc legem, ut tumuli membra sepulta tegant.*

Non tantum vero ipsa sepultura nemini denegari poterat, sed nec libera electio v. g. in hoc vel illo loco sepeliri velle *Barbos. de Offic. & Potest. Par. P. 3. C. 26. n. 20. seqq.* Quod limit. in Religiosis, qui solum in monasterio, in quo vixerunt, sepeliendi, & corpora eorum, si non nimis longe a cœmiterio absint, advehenda *Id. d. l. n. 30.* Tum etiam jus sepulturæ pendet multum ab usu sacramentorum, sc. ut ibi regulariter quis sepeliendus sit, ubi sacramentis usus fuit, si nihil de sepultura disposuerit *Id. n. 34.* De loco sepulturæ hic obiter notandum olim intra urbem, ex LL. XII. Tabb. neminem sepeliri potuisse *l. 12 C. de Relig.* multo minus intra Ecclesiam *Barbos. d. l. n. 5.* quod postea, teste eodem Autore mutari paulatim cœpit, primum quoad Episcopos, deinde quoad omnes alios *Ibid. n. 6, 7. & 8.*

APHOR. V.

Inspecta origine & causa juris sepulturæ, quamq; necessaria & universalìa ejus sit observatio, videndum jam quomodo id nonnunquam ab improbis violetur, quibusve modis id fiat. Prohibetur autem in specie *sub rubr. C. de Sepult. Viol.* violatio duplex:



duplex: Vel *qua post sepulturam*, vel *qua ante eam committitur*; Ad primam speciem, de qua priori loco agit Imperator *sub alleg. Tit.* pertinet violatio ipsius loci sepulturæ & corporum defunctorum, quæ fit postquam cadaver jam terræ mandatum. Posteriori loco prohibetur quodcunque factum illicitum quo sepultura impediri vel diutius protrahi possit, & specialissime detentio seu Arrestatio Cadaveris ob debitum defuncti. Primum quod attinet, de violatione juris sepulturæ post humationem, posteriori quidem loco agendum erat, sed sequentes Imperatorias constitutiones in *d. Tit. C. de Sep. Viol.*, eundem ordinem servabimus primo loco tractantes ea, quæ, si corpora jam terræ mandata, circa ea committi prohibentur de iis, quæ ante sepulturam per detentionem, arrestum omneque aliud impedimentum jus sepulturæ violant, posteriori hujus Dissertationis loco tractaturi. Violatur autem in specie sepulchrum seu ipse locus sepulturæ, vel contrectando vel destituendo quicumque: Illud ob lucrum sibi acquirendum, hoc vero ob damnum & injuriam alii dolose inferendam. Utrumque satis grave, nec sine pœna de qua infra §. 8. Huc pertinet, si quis sepulchrum diruat, statuatam de monumento divellat, in sepulchro habitet, ædificium extruat, cadavera spoliet, & id genus alia *l. 2. l. 3. §. 6. & 7. ff. de Sep. Viol.* Denique si ipsa corpora aut reliquias quis contrectet *l. 4. C. eod.* de sepulchris saxa, marmora, columnas aliasque res abstulerit *ibid.* Quoniam vero variis ac infinitis modis sepulchrorum violatio peragi potest, eos hic omnes recensere, & casus fingere haud operæ pretium fore existimo; Prolixe satis de his egit Meier. *Colleg. jur. Argent. ad Tit. ff. de Sep. viol. n. 4.* ubi præcipuos fere casus recenset, quibus ex hoc crimine actio competat & pœna irroganda veniat, nec non Tiber. Decian. *tr. crim. Tom. 2. L. 6. C. 41. 42.* quo me brevitatis causa remitto.

## APHOR. VI.

Quisnam hoc crimen commisisse censendus sit, ex dolo seu proœ-



procrefi cujusque æstimandum, atque uti infra dicetur: Si dolus absit, pœna in hoc crimine locum non habet, sed pro ratione circumstantiarum vel injuriarum vel alia actio danda, vid. infra §. 10. Hinc sequitur infantes; infantia proximos, impuberes & pubertati proximos (nisi in his malitia suppleat ætatem, quæ limitatio in omni delicto *arg. §. 14. I. de oblig. quæ ex del. tenenda*) hac actione non teneri, utpote in quibus dolum & procrefin jura non præsumunt *arg. l. 3. §. 1. ff. de Injur. Conf. l. 108. de Reg. jur.* De summe autem ebriosis videtur, quod in delicto tam gravi vix aut ne vix quidem excusandi sint, si tamen plane quid agant. ignorent, puto & in his, (nisi est proposito se inebriarint) verum dolum quidem abesse *arg. l. 5. §. 6. ff. de Re milit.* quia tamen hos non levis concomitatur culpa, non in totum absolvendi, sed mitius saltem puniendi erunt, secundum Carpzov. *Pr. Crim. L. 2. q. 96. n. 22.* Duobus vel pluribus sepulchrum violantibus, omnes tenentur in solidum, dum enim unus ex illis pœnam subit, Reipubl. quoad reliquos nondum satisfactum ideoque omnes puniantur, necesse est, si verò interesse alicujus pecuniarium concurrat, solvente uno reliqui liberantur. Quod dictum de excusandis impuberibus, uti non in reliquis, ita nec in hoc delicto extendendum ad Minores utpote jam doli capaces, contra quem restitutio in integrum non habebit locum, quamvis hæc in civilibus minoribus plerumque sit salva *t. t. ff. de Restit. in integr. l. 1. ff. Et t. t. C. Ex quib. caus. major.* Cœterum omnes in genere hoc crimen incurrunt & consequenter pœnis obnoxii sunt, qui animo doloso tale quid susceperint, nisi in specie vel ratione personæ vel circumstantiarum excusationem mereantur, de quo etiam ex parte infra in contrariis agendum. Idem in genere circa objectum hujus criminis statuendum, quod sc. quorumcunque sepulchrorum violatores modis infradicendis sint puniendi, nisi exceptio in specie dari possit, qua actio cesset; Sic v. gr. quod de sepulchrorum violationibus in



genere dicitur, ad illa tantum restringendum, in quæ honestiori cujuslibet loci ritu cadavera illata, non item de sepulchris illorum intelligendum est, qui in reatu obierunt. Quanquam enim non omnino excusentur privati, qui circa talia committunt, poena tamen non hujus criminis, sed arbitraria locum habebit, quæ pro ratione circumstantiarum sat gravis esse potest. Vid. Berlich. P. 4. Concl. 48. Carpz. P. 4. c. 34. Def. 3. & 4. Id. Pr. Cr. p. 2. q. 83. n. 60. seqq. Boer. Decis. 112. & alii.

## APHOR. VII.

Oritur ex hoc delicto, *actio sepulchri violati, personalis, in factum Prætoria pœnalis, popularis & famosa*. Ratio juris ita constituti est in *l. 1. c. de Sep. viol.* sc. sanctitas & inviolabilitas rerum religiosarum, inter quas haud postremæ sunt corpora defunctorum eique annexa, v. gr. monumenta, res cum defunctis conditæ, saxa, marmora, lapides &c. Qui circa ea commiserit, cum in crimen læsæ religionis incidere inquit Imper. in *d. l. 1. c. de Sep. Viol.* Dixi actionem hanc esse *personalem*. Est enim ex dolo seu delicto *l. 3. pr. ff. b. t.* qui vero ex delicto obligatus, personaliter obligatus est, nullo habito respectu ad certam aliquam rem, §. 1. *Inst. de Action.* Est quoque (2.) *in factum Prætoria*, nam Prætor hujus gratia edictum proposuit, quod refert *Ulpian.* in *l. 3. ff. de Sep. Viol.* (3.) Est hæc actio *Popularis*, seu cuivis de populo datur potestas agendi *l. 3. §. 12. ff. eod.* quod verum, si nemo sit, cujus intersit, seu ad quem, vel ad quos (datur enim uni vel pluribus, *l. 3. §. 9. ff. de Sep. Viol.*) ea res pertineat *l. 3. l. 6. pr. ff. eod.* his enim deficientibus demum fit popularis *d. l. 3.* nam in popularibus actionibus semper is præfertur, cujus interest *l. 3. §. 1. ff. de Publ. jud.* Cum enim, si civiliter ex actione populari agatur, pœnalis illa actio criminalem perimat *t. t. C. Quand. civ. act. crim. præjud.* peremptio ejusmodi cuivis de populo in præjudicium ejus, contra quem delictum potissimum commissum est, non esset concedenda *Locamer. de caus. act. §. pen.*



pen. in fin. ubi hanc in rem allegat l. 3. §. 1. ff. de Popul. Act. Pluribus agere volentibus hac actione, Prætor eligit, cujus justissima sit causa & majus interesse vid. l. 3. pr. ff. de Sep. Viol. l. 2. ff. de Popul. act. Est (4.) hæc actio famosa l. 1. ff. b. t. præterquam enim quod popularis sit, videtur & ex publico crimine descendere, per l. 8. ff. eod. Ex verò actiones, quæ ex delictis publicis oriuntur, omnes sine exceptione ipso jure famosæ sunt l. 7. ff. de Publ. jud. Est (5.) in æquum & bonum concepta l. 10. ff. b. t. quæ qualitas quidnam sibi velit vid. d. l. Est (6.) certo casu Pecuniaria seu Rei persecutoria l. 9. ff. de Sep. Viol. sc. quatenus interesse alicujus simul versatur. Est (7.) hæc actio pœnalis Vid. l. 6. 10. & 11. ff. & t. t. C. eod. & quidem ita, ut eatenus nec active nec passive in heredes transeat, h. e. nec heredibus datur, nec contra heredes, quod posterius quidem certum, cum actio pœnalis ex delicto ordinarie contra heredes non detur §. 1. l. de Perp. & temp. act. cum vero ibid. dicatur, heredibus pœnales ejusmodi actiones non denegari, dubitari hic poterat, anne & hæc, quatenus pœnalis est, danda foret heredibus? Sed magis est ut dicamus, non dandam esse; Excipitur enim in d. §. 1. sola actio injuriarum eique, similis; Hanc autem ut mere pœnalem ei similem esse probamus ex l. 6. in fin. ibi: magis ad ultionem l. pen. in fin. ibi in sola vindicta. ff. de Sep. Viol. adeoque heredibus non permittendum hoc casu, ut solam vindictam persequantur, aliud est, si damnum aliquod pecuniarium seu rei familiaris dispendium concurrat, quod ex eodem crimine sepulchri violati simul ortum traxerit, hoc enim persequi nullatenus prohibentur juxta d. §. 1. l. de Perp. & temp. act. & multos alios juris nostri textus vid. Peretz. ad d. §. 1. l. 9. Est denique (8.) hæc actio Annalis seu uno anno finitur, exemplo omnium fere actionum Prætoriarum pœnalem & popularium d. §. 1. & l. fin. ff. de Popul. action.

APHOR.



Visis jam qualitatibus hujus actionis, & cum dixerimus eam inter alia esse pœnalem, restat quoque ut pœnam huic delicto statutam in specie videamus. Est autem ea duplex: *Civilis & criminalis*; Illa est ex actione populari de Sepulchro violate ad pœnam minimum centum aureorum *l. 3. pr. & §. 4. ff. de Sep. Viol.* (contra dolosum inhabitatorem sepulchri 200. aureorum *ibid.*) actori applicandam. Hodie autem velis agit, cujus interest, vel magistratui delictum denunciatur & per Procuratorem Fisci causa agitur *Vid. Struv. Synt. Iur. Civ. Exerc. 48. tb. 118. cum ibid. alleg. Zœf.* Agitur etiam ex hoc delicto ad pœnam criminalem, quæ iterum duplex est, Si enim more latronum armis intentata sepulchri violatio, ad ultimum supplicium devenitur *l. 3. §. 7. de Sep. Viol. Farin. Pr. crim. L. I. Tit. 3. qv. 20. n. 114.* quam pœnam quoque moribus observari dicit *Carpz. P. 4. c. 34. Def. 2.* ubi præjudicium allegat. *Dambauder Pr. crim. c. 109. n. 6.* Sin autem sine armis, rursus sub distinguendum. An ipsum corpus, ossave defuncti extracta fuerint, & sic pro ratione delinquentium, vel ultimo supplicio (in humilioribus sc.) vel relegatione & damnatione in metallum (in honestioribus) punitur *l. fin. ff. d. t.* Si reliquiæ saltem contrectatæ & monumenta destructa, decem auripondo Fisco inferenda; *l. 4. C. de Sep. Viol.* quam pœnam & hodie obtinere testis est *Han. in Comment. ad Wesenb. b. t. in fin. n. 2. Carpz. Pr. crim. P. 2. q. 83. n. 64. & 66.* ubi & huius præjudicium adfert. Cœterum pœnam ultimi supplicii, ut graviolem, certis tantum casibus admittit, alias in genere pœnam violationis sepulchri arbitrariam esse statuens *Carpz. d. l. n. 4. & §.* ubi disputat; An suspendii pœna æque ac in furto hodie locum habere possit? Quod negat ex eo, quod furtum non committatur nisi sit, cui furtum fiat *arg. l. 1. §. 15. Si is qui test. lib. esse juss. l. ult. ff. Expil. hered. l. 68. ff. de Furt. l. 2. §. 1. Expil. hered.* defunctos autem nihil possidere, adeoque

furtum



furtum proprie non committi. Verum juxta Constitutionem Carolinam contrarium potius asserendum foret, cum enim pœna furti in graviolem seu laquei pœnam mutata non ratione rei ablatae ejusque Domini seu possessoris, sed magis intuitu quietis publicae tuto conservandae, hæc verò per violationem sepulchrorum quam maximè turbari possit, vix, si Constitutionem Carolinam sequi velimus dicendum, pœnam laquei cessare, eo casu sc. quo res cum defunctis conditæ simul ablatae. Nam vid. *Const. art. 159. 160.* omne furtum violentum etiam minimum simpliciter sub pœna laquei prohibetur, violentiam vero hic nunquam abesse ipsa criminis verba satis indicant. Deinde etiam res, quæ cum defunctis conditæ, sæpius pretiosissimæ, non omnino pro derelictis ab hæredibus habentur, sed saltem ibi asservare voluisse censendi sunt, ut simul defunctis ornamento esse possint, imprimis hodie, ubi ornamenta cum defunctis condere moribus invaluit, ergo & furti actionem respectu earum competere dicendum cum furti actio detur illi cujus quomodocunque interest rem non esse ablatam, *Vid. §. 13. seqq. I. de oblig. quæ ex del.* Cum enim, qui deperditam rem, cujus Dominus ignoratur, lucri faciendi causa retinet, furtum committat *l. 43 §. 4. ff. de Furt.* cur non & ille, qui rem tumulo conditam, quæque non deperdita, nec pro derelicto habita? Quid si servus deliquerit? Distinguitur *in l. 2. c. de Sep. Viol.* An Domini consensu id fecerit, nec ne; Hoc casu metallo addicitur, illo casu relegatur. Denique Julianus Imper. sub pœna sacrilegii violationem sepulchri prohibuit, sacrilegii autem pœna de jure Civili capitalis *l. 9. pr. ff. ad L. Jul. Peculat.* hodie pro qualitate rerum & personarum arbitrarie punitur, quod idem ergò de violatoribus sepulchrorum dicendum, quod utrinque pœna sit arbitraria & circumstantiarum qualitatibus id exigentibus quandoque ad mortem extendi possit; Porrò in *L. 1. 2. & 3. c. de Sep. Viol.* dicitur quod magistratus ejusmodi violatores puni-

C

re ne.



re negligens viginti libris auri mulctari debeat *d. l. 3.* quod res ita contrectatæ sint quasi religiosæ, omnisque contractus circa eas invalidus ipsoque jure nullus *d. l. 1.* Item domus vel villa in quam ejusmodi res inferuntur Fisci jure vindicetur *d. l. 2.* Nam gentium facinus perpetrasse dicuntur ejusmodi delinquentes *in l. 4. c. eod.* quod intelligendum si domus inferentis sit propria, vel is, cujus est, sciverit ejusmodi res inferri cum alias delictum alicujus tertio nocere iniquum foret. Pœnam violationis sepulchri Leo Imper. *in Nov. 96.* mitiorem quidem statuit, ut qui semel duntaxat id auli fuerint, levi misericordique sententia feriantur, iterato vero hoc facinore demum dorsi verberationem, cum tonsura crinium (utpote olim tempore Leonis ignominiosa *Vid. Nov. Leon. 105.*) sustineant. Quæ Leonis constitutio autem non usque adeo convenire videtur cum sui ipsius summa exprobatone in delinquentes circa cadavera defunctorum seu impediens sepulturam *in Nov. anteced. 53.* proposita, cum ibi corpora defunctorum vexare, eaque insepulta jacere, miserabile simul & horrendum spectaculum dicat *d. Nov. 53.*

## APHOR. IX.

Quam severe in hoc crimen à LL. latoribus animadversum sit, vel ex hoc etiam constare poterit, quod non una hæc solum sepulchri violati actione experiri inde liceat, sed & plurimis aliis, quod non parum facit ad pœnæ aggravationem, & quamquam omnes illæ actiones non super cumulari possint, maximum tamen incommodum est rem pluribus actionibus teneri. Sic itaque ex actionum pluralitate pœna aggravatur & in hoc delicto; Nam præter illam, quam *jam. §. antec.* proposuimus sepulchri violati actionem, concurrunt & alia remedia seu affinia, uti vocantur, actioni de sepulchro violato, ut est (I.) Interdictum Quod vi aut clam *l. 2. ff. de Sep. Viol.* quod est Interdictum generale Prætoris ob varias possessionum causas, litiumque infinitam varietatem propositum; Cum enim peculiare interdictum



dictum ex ratione jam alleg. ad quamlibet possessionis causam dari non posset, ideo in genere hoc interdicto *Quod vi aut clam* Prætor possessiones tueri voluit, interque alia etiam quoad sepulchra & monumenta *d. l. 2.* quod interdictum & heredibus ejus competit, qui violentiam circa sepulchrum passus est, ad eam cohibendam, & si quid factum, omnia in pristinum statum reducendum idque sumptibus violatoris *l. 16. §. 2. ff. Quod vi aut clam* Datur (2.) etiam contra ejusmodi violatores, tanquam criminis publici reos, accusatio ex L. Julia de vi publica *l. 8. ff. de Sep. Viol.* Vis publicæ autem pœna olim erat deportatio *§. 8. l. de Publ. Jud. l. 10. §. fin. ad L. Jul. de vi Publ.* Hodie arbitraria est, & pro ratione criminis & circumstantiarum quandoque capitalis *Const. Crim. art. 125. 127. Farin. Pr. Crim. L. 1. Tit. 3. q. 20. n. 135. Menoch. de Arbitr. Cas. 387.* quam pœnam capitalem & hodie obtinere testatur *Carpz. p. 4. c. 34. d. 2.* in specie illo casu, si corpora ex loculis eruta & spoliata postea insepulta relinquantur abjicianturve, vel si hoc delictum iterarum vel armata manu perpetratum sit, quod de jure Saxon. minus habet dubii, cum ibi expressa adsit constitutio Electoralis: *Wo die Todten Gräber oder andere die Todten wiederum auffgraben / dieselbe berauben / und hernacher wiederum einscharren / so ist die Straffe wilkührlich zc.* Es wären dann andere Umstände / warum die Straffe zu schärffen / als da sie die Todten Leichnam unbegraben liegen lassen / oder offtmahls solche Missethat begangen / oder mit gewehrter Hand verbracht hätten. In diesen oder dergleichen Fällen / sollen die Thäter mit dem Schwerdt gestraffet werden / *referente Carpzov. d. Def. 2.* Assinis (3.) huic crimini est L. Julia de Sacrilegiis *arg. l. 5. vers. proximum. c. de Sep. Viol.* Denique (4.) Actio injuriarum *l. 28. ff. de Injur. l. 8. ff. de Relig. l. 1. §. 6. ff. de Injur.* Varietatem harum actionum & pœnarum multitudinem non modo favor religionis, sed & odium erga summam ejusmodi teme-



20 DISS. DE PROHIBITA VIOLATIONE  
ritatem arguit *Berlich. p. 4. Concl. 47. Mejer. Coll. Jur. Argent. ad  
Tit. ff. de Sep. Viol. in fin.*

APHOR. X.

Notum est ex variis juris nostri textibus, & jam tum §. antec. ex parte demonstravimus, quod actiones ex una eademque re, puta delicto, sæpius plures competant. An vero concurrant semper i. e. simul intentari possint, quæstionis est? Decisionem pendere ex distinctione aliqua vulgari existimo, nimirum. Si tendunt ad diversa, cumulando plures actiones simul intentari possunt, sin verò ad idem, alia aliam consumit v. g. si utraque ad pœnam agatur, ex una civiliter, ex alia criminaliter *Gail. 1. Obs. 60. n. 5. Obs. 63. n. 3. Borcholt ad §. 11. I. de L. Aquil. & ad §. 10. I. de Injur.* In hoc crimine sepulchri violati cumulantur in specie pecuniaria seu rei persecutoria *ex l. 9. de Sep. Viol. & pœnalis, sive civiliter ad pœnam agatur, sive criminaliter eam Fisco applicandam arg. §. 1. I. de Perp. & Temp. act.* Cum quibus etiam concurrat simulque intentari potest Interdictum quod vi aut clam *ex l. 2. ff. de Sep. Viol.* hæ enim actiones omnes ad diversa tendunt, rei persecutoria ad damnum quod ex patrimonio cuique abest persequendum, pœnalis ad pœnam ob delictum, & interdictum ad possessionem tuendam seu sepulchrum restituendum in statum quo fuit ante læsionem *dd. ll.* Pœnales autem actiones v. g. illa quæ est civilis ex actione populari, & quæ est criminalis ex L. Julia de vi publica vel ad pœnam Fisco inferendam, non nisi elective concurrunt, & electa una altera corrui, quia sc. omnes meram vindictam respiciunt. Ex uno vero eodemque delicto semel tantum perpetrato non potest duplex pœna irrogari secundum supr. dicta. Hinc Qv. An unum idemque sit delictum ipsa cadavera molestare *juxta l. 3. §. 7. ff. de Sep. Viol.* & monumenta simul, marmora & similia diruere *juxta l. 4. C. eod.* Quod negatur, adeoque utraque pœna tam corporalis *cit. l. 3. §. 7.* quam pecuniaria *d. l. 4. c.* locum habebit, nec



nec alia aliam consumit, quia diversa sunt facta seu duplex delictum, quod etiam sequitur duplex pœna. Nulla itidem harum pœnarum infamiam violatoris simul perimit, cum hujus irrogatio in omnem casum concurrat cumulative, tanquam specialis effectus ex quovis crimine publico oriundus ad pœnam nihil faciens, seu eam non minuens; Nec minus & reliqui effectus *de quibus supr. in fin. §. 8. v. g. quod magistratus puniendus &c. si ejusmodi qui factum fuerit, specialiter subsistunt.*

## APHOR. XI.

Sicuti vero vix ulla regula tam firma, quæ non certis casibus suas patiatur restrictiones, sic quoque actio sepulchri violati ejusque pœna cessat. (1.) Si absque dolo malo sepulchrum violatum sit *l. 3. §. 1. ff. de Sep. Viol.* voluntas enim & propositum maleficia distinguunt *l. 53. pr. ff. de Furt.* nec minus in hoc sepulchri violati facinore juxta dolum æstimandum, an actio sepulchri violati, an injuriarum vel alia danda sit. *Vid. infr. b. §. n. 5. & 6.* (2.) Si quis aliquid fecerit, quo sepulchrum damno afficiatur, isque jussu judicis rem, in pristinum statum restituat, actio sepulchri violati, cessat *l. 4. pr. ff. de Aqua & aq. pluv. arc.* ratio ejusdem in *l. 13. §. 2. ff. de Injur. sc.* quia Prætoris præceptum hic liberat a pœna (3.) Cessat si hostium sepulchra violata sint, non hostium sepulchra nobis non sunt religiosa *l. 4. ff. de Sep. Viol.* adeoque res illinc ablatae in quemlibet usum converti possunt; Quod tamen an adhuc hodie indistinctè liceat, dubito, cum Christiani hoc solum fecerint invalescente religione Christiana in locis gentilium eorumve sepulchris *Gotbos. ad. l. 36. ff. de Relig.* quamvis ergò jure Rom. actio sepulchri violati hoc casu denegata fuerit, eamque nec hodie dari existimem cum dolus abesse videatur *Farin Pr. Crim. L. 1. Tit. 3. q. 20. n. 129. & milites quodammodo jure belli in re licita versari, jureque suo uti videantur, magis tamen piè ac religiose agerent Christiani milites, si ubivis locorum à sepulchris abstineant, quo ea, quæ*



vi juris naturalis seu gentium cuius competunt, & hostibus salva maneat *Vid. Grot. de I. B. & P. L. 2. C. 19. §. 2. Finkelth. Concl. Sepult. 14.* ubi latè hoc persequitur argumentis tam ex jure divino & naturali quam civili depromptis. Nec video quam benè convenient Imperator & Jctus; Ille in *l. 4. C. de Sep. Viol.* dicens sepulchrorum violatores gentium facinus i. e. contra jus gentium perpetrare, & hic *in cit. l. 36. ff. de Relig.* ubi loca hostium religiosa sacra esse definire apud Romanos dicit; Si autem gentium jus hoc ipso violatur, nec hostium sepulchra violanda, utpote quibus gentium jus semper salvum. *Grot. d. l. (4.)* Cessat hæc actio si corruptum vel collapsum monumentum reficiatur, corporibus non contactis *l. 7. ff. de Sep. Viol.* Ex quo apparet, etiamsi accessus ad sepulchra necessarius sit, tamen ipsa cadavera tanquam res κατ' ἐξοχήν religiosas, attingere haud facile, imo nunquam permittendum esse (5.) Si statua monumento imposita saxis cæsa sit, non hac, sed injuriarum actione experiendum *l. 27. ff. de Injur.* (6.) Eadem actio, injuriam sc. non sepulchri violati datur, si quis ejecerit mortuum ex eo loco, ubi alteri sepeliendi jus non erat *l. 2. ff. de Relig.* autoritate enim publica, non suamet privata id agere debuisset, ideoque in totum non excusandus *l. 8. pr. ff. eod.* (7.) Cessat, si corpora non sepulturae perpetuæ tradita, sed saltem quoad tempus in locum aliquem translata sint *l. 3. §. 7. ff. de Sep. Viol. Farin. d. l. n. 129.* cum iste locus non statim sit religiosus; quamprimum autem cadaver illuc translatum, circa illud quicquam committere omninò poenam meretur, hoc enim statim post obitum seu abitum ad superos religiosum est. Denique (8.) cessat actio, præscriptione superinducta, quæ vel *Annalis* est quatenus sc. popularis prætorica ac poenalis existit, arg. *§. 1. I. de Perp. & Temp. act.* vel *Perpetua* quatenus rei persecutoria, nam actiones Prætoricæ, quæ rem persequuntur æque triginta annis durant, ac quæ immediate à jure civili proficiscuntur arg. *d. §. 1. vel etiam viginti annis*

pre-



*prescribitur hæc actio*, quatenus pœnas civiles persequimur accusando, vel etiam magistratus inquirendo, exemplo omnium reliquorum delictorum publicorum *l. 12. C. ad L. Corn. de Fals. Gothofr. ibid. l. 13. pr. ff. divers. Tempore præscr.* exceptis illis, quæ speciatim excipiuntur, quæ vel brevioris, vel longioris temporis spatio demum præscribuntur *d. l. 12. C. & l. 13. ff. vid. l. 19. §. 5. seqq. ff. ad L. Jul. de Adult. l. 4. C. de Apostat. l. 19. §. 1. ff. ad L. Corn. de Fals.* Hæc itaque ut plurimum sunt, uti vocantur, contraria, quibus actio prædicta cessat, ubi tamen observandum in genere quo ad hanc actionem, cum uti supr. dictum in æquum & bonum concepta sit *juxta l. 10. ff. de Sep. Viol.*, quod ante omnia judex æquitati studere debeat, si ea quis experiri desideret, cujus arbitrio & prudentiæ multum hic tribuendum, quo dijudicet exactè, an sepulchri violati, utpote semper gravior, an injuriarum actio danda sit, de qua *supr. n. s. §. 6. b. §.* Non verò admittendam esse opinionem Damhouderi existimo, quando *in Pr. Crim. c. 109. in fin. dicit*: Supervacaneum esse, ingenii vires in hac materia exercere, cum rubrica hæc hodie parum in usu sit, crimenque hoc in desuetudinem abierit, cujus rei rationem non aliam adfert, quam quod hac tempestate Ecclesia abunde de cœmiteriis providerit; Quæ vero ratio non videtur sufficiens, ad statuendum crimen hoc in desuetudinem abiisse, ejusque pœnam cessare, quin potius contrarium dicendum, in cœmiteriis, ut locis solitariis, ubi vis ferè locorum nec clausis nec circumseptis, sed sæpissimè extra urbis mœnia sitis, commodius hoc crimen perpetrari posse, quam olim apud Romanos aliosque, ubi in agris privati cujuslibet monumenta erigebantur, *vid. Sichard. ad Tit. C. de Relig. n. 2. Barbos. ad cap. 13. X. de Sepult.* (unde Cicero *L. 3. de Legibus. de Decoctare*, qui non tantum reliquerat, ubi sepeliri posset) privatorum autem res magis ab illis curantur, quam publicæ, inter quas & hodie cœmiteria referenda esse non dubito *Sichard. & Barbos. ad. ll. Tantum enim abest,*



abest, inquit, *Farinac. d. q. 20. n. 114. in fin. crimen hoc in desuetudinem abiisse, quin potius crescente hominum malitia, latronum & facinorosorum multitudine, ut si possent, nedum ad sepulchra, sed ad cælum manibus pervenire, haud dubiè derogarent.*

## APHOR. XII.

Quoniam autem sepulchra hodie publica esse diximus, & extra commercium, hinc sequitur, ea nec longissimo tempore præscribi posse; Aliud dicendum de jure sepulturæ, quod religiosum non est, ac ipsa sepulchra, adeoque in commercio ac præscriptibile *Sichard. ad l. 6. C. de Relig. n. 1. Barbos. d. l. sed Q.* hic obiter, an cum sepulchra extra commercia sint, jus autem sepulturæ non sit religiosum, plane pro sepultura nil quicquam exigere liceat? *Recep. Simoniacum illud est & damnandum omnino facinus pro sepultura quid exigere Cap. 8. de Simon. Quod limit. (1.)* Nisi quis velit in loco digniori sepelire ratione situs, nam hoc non concernit spiritualia, sed tantum honorem & præminentiam *Barbos. d. l. n. 16. (2.)* Nisi detur per modum Elemosynæ & ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ vel (3.) pro officio sepulturæ v. g. illis qui hymnos canunt, campanas pulsant &c. exceptis pauperum cadaveribus, quæ gratis sepelienda *Id. d. l. & n. 83. 84. vel (4.)* Sepulchra sint hereditaria, quæ pretio vendi posse dicit *Barbos. d. l. sed puto nec illa sepulchra pretio æstimabilia esse, bene tamen jus inferendi in illa vel ad tempus vel in perpetuum certe alicui personæ vel familiæ vendi posse, quod & sepulchris non hereditariis dictum. Hæc sunt, quæ de prima sepulchri violati specie breviter pro instituti ratione proponere volui, restat adhuc altera, quâ quamcunque aliam violationem cadaverum, quæ ante sepulturam committitur, in specie prohibitam cadaverum arrestationem vel detentionem itidem breviter exhibituri sumus.*

## APHOR. VIII.

Diximus supr. violationem juris sepulturæ committi vel ante



ante sepulturam, vel post eam. De posteriori jam actum, sequitur alterum quoque tractandum, quod in specie fit per detentionem cadaveris ob debitum. Cum verò non adeo frequenter fiat, quod quis propria autoritate tale quid agere præsumat, evenit quandoque ut impudentissimi Creditores, judicis detentionem ejusmodi per arrestum confirmantis, vel ad eam saltem conniventis, autoritate nixi, nihil eorum sibi non licitum esse existiment, quod cum aliquando factum esse meminerim, ansam præbuit, de hoc paucis agendi. Non autem operæ pretium fore existimo, de Arrestis, quid sint, hic longe prætari, cum jam tot elegantissimi tractatus Mevii, Gailii, Peckii aliorumque hanc in rem prodierint ideoque ne actum agam hoc saltem in genere de iis monendum duxi, quod sicuti regulariter prohibita *c. 2. X. de Sequestr. poss. t. t. c. de Probib. Sequestr. Pecun. l. 1. c. de Execut. rei judic. l. 9. c. de Obl. & Act. Conf. l. 47. pr. l. 58. ff. de Re judic. Gail. 1. Obs. 148. Carpz. L. 4. Tit. 5. Resp. 39. n. 1. Mev. de Arrest. c. 2. num. 4. & 9. Richter. de Privil. Credit. c. 4. Sect. 4. num. 19. seqq. Gail. de Arrest. Imper. c. 3. n. 1. in fin. Carpz. p. 1. c. 29. Def. 6. num. 1. seqq.* siquidem jure Civili & Canonico plane incognita Carpz. *d. l. num. 1. & 2.* cum ab executione non sit inchoandus processus, eo minus in hac causa decernenda esse, utpote per se maxime favorabili. Utut enim arresta, vulgo ita dicta (est enim vox barbara non latina) in genere variis modis excusari possint, & regula jam tradita *Ab executione & c.* fere infinitas patiatur exceptiones, attamen non solum de jure Romano sed & hodie, ubi arresta generali ferè consuetudine recepta testante Mev. *d. l.* vix aut ne vix quidem exceptio aliqua dari poterit, qua immanis ac crudelis illa consuetudo, ne corpora defunctorum ob debitum extradantur & terræ mandentur, antequam creditori de debito satisfiat, excusari mereatur. Quod optime perpenderentes prudentissimi LL. latores immanem ejusmodi morem non modo penitus damnarunt, sed & contra-

D

niten-



nitentes severissimis poenis subjacere voluerunt de quibus *in l. 6. § Authb. seqq. c. de Sep. Viol.* & merito quidem; Non enim saltem rationi, omnique, ut *supr.* demonstravimus, humanitati adversatur defunctos, jam pie conditos in quiete turbare, quam ipse Jehovah ad futuram resurrectionem ipsis benignissime largitur, sed & hoc ex eadem ratione pendet, ne corpora antequam sepulta fuerint, à sepultura quovis modo impediuntur. Impium enim quam maxime habendum, animam exhalantibus ne quidem parcere, & à defunctis vim abstinere, quasi de corio ipsorum sibi persolvi quis desideret, qui debitum naturæ jam solvit *Vid. Rittersbus. in Expos. Nov. p. 14. c. 6. num. 2.* Omnes indistincte mortui sepeliendi sunt, est enim charitatis officium sepelire, dicit *Barbos. de Offic. & Potest. Parochi. p. 3. c. 26. n. 1. & 3.* non autem charitatis officium proximo exhibere censendus est, qui tam rigide debitum persequitur, ut contra humanitatem peccare malit, quam ejus jacturam facere. Cum itaque creditorum quorundam & malitia & avaritia eo se extendat, ut ultimum hoc naturæ debitum solventibus, ultimum honorem cuilibet competentem ob vile sæpius aliquod debitum denegare audeant, & quovis modo impedire studeant, crediderunt sanctissimi L. L. latores in medendo huic malo diutius superfedere, piaculum forte, siquidem malitia creditorum hic manifesta & quidem dupliciter (1.) Quod tale arrestum petentes sibimet male consciis præsumantur, dum pecuniam sæpius indebitam vel debitum illiquidum hoc modo ab heredibus defuncti extorquere conentur, aut quod sibi credant ob tempus luctus paululum expectandum fore, cum ne propter nimis recentem luctum jura sua omittant debitoris heredes *per l. 6. c. de Sep. Viol. ibi: jura sua perdere*, optime cautum sit, ut intra novem dies à tempore mortis defuncti, heredes ab omni exactione debiti cujuscunque liberi sint (2.) Malitia creditorum exinde quoque manifesta, nam impetrato licet ejusmodi arresto, anne exinde, seu ex cadavere, credi-



creditori tandem satisfiet quoad debitum? Quid si heredes quoad sepeliendum cadaver non minus crudeli animo sint ac ipse creditor, arrestoque ejusmodi acquiescentes aut solvere nollint aut non possint, quis tandem prohibitionis illius (ne sc. cadaver terræ mandetur antequam creditori satisfactum) erit effectus? Nullus sane præter hunc, quod corpora defunctorum contra omnem divinam ac humanam legem omnemque rectam rationem insepulta diu maneat, quod quam à ratione omnique humanitate alienum fit supr. pluribus dictum fuit. Nulla etenim ratio patitur, Christianæque pietati repugnat, maxime ob pecuniarium interesse cadaver insepultum manere, nec sub quocunque prætextu alio sepultura retardanda dicit *Molina de Just. & Jur. Tom. 1. Disp. 214. n. 23. Barbosa. ad Decretal. Tit. de Sepult. pr. Surd. Decis. 255. n. 9.* Creditor quilibet alius petens immisionem in jus vel bona debitoris, si nullum exinde lucrum sperare possit, hæc ei nullatenus concedenda *Angel. ad L. Pro herede §. si quid tamen. ff. de Æquit. hered.* Quodnam quæso lucrum sperandum ex arrestatione seu detentione cadaveris, præsupposito (ut jam antea) quod heredes id facti nihil curent, insuperque habeant, an supra, an infra terram tabescat defunctus? Dicitis: Herede solvere nolente, ex bonis defuncti seu propriis, immisionem in bona defuncti peti decernique posse? Sed & ut hoc statim post mortem permissum foret, quod tamen non est, per prohibitionem *d. l. 6. c. ane idem fieri posset cadavere jam condito?* Cum non metuendum, quod bona simul cum defuncto condantur; Damnabile ergo & crudele ejusmodi factum est, cujus absurditas simul manifesta, cum nullum habeat effectum necessarium seu certum finem quem assequi liceat, multaque incommoda post se trahat detentio cadaveris *DD. ad L. 6. & Authb. seqq. c. de Sep. Viol.* propter finem autem certum aliquem omnis actio humana instituitur, qui si igitur probabiliter cessaturus sit, seu ex hoc medio certo haberi non



possit, tanto minus media præsertim illicita ad finem illum obtinendum usurpanda sunt. Cum enim corpus liberi hominis in vivis sit inæstimabile juxta §. 1. l. si quadrup. pauper. fec. dict. l. 1. §. 9. ff. de his qui effud. vel dejec. l. fin. ff. eod. l. 2. §. 2. vers. corporum, ff. de L. Rhod. de jact. quomodo post mortem illud magis æstimandum veniet, anne sola mors id efficiet, corpus non amplius esse liberum & inæstimabile? Id affirmare absolum foret; Quin potius dicendum majorem homini libertatem post mortem acquiri, quam in vivis habuit; in hac enim miseriarum valle tot ærummis ac molestiis obnoxii, de quanam libertate gloriari possimus, haud video. Si itaque corpus liberum est & inæstimabile, quomodo pro debito id detineri potest, siquidem inter cadaver & debitum, utut maximum ratione æstimationis nulla proportio. Dicis: Per indirectum ac facilius heredes ita cõerceri posse, quo citius creditoribus satis fiat; nec præcise intentionem creditorum esse, quod cadaver debiti loco retinere velint. Sed respondeo: Magnus quidem favor est creditorum in Republica, & regula juris naturalis, ut unicuique suum tribuatur, nec enim quis facile re sua fraudandus, non tamen tantus, ut media jure naturali & civili illicita prorsusque prohibita ad id consequendum adhibere cuique integrum sit. Major enim subest ratio & in hac hypothese itidem ex jure naturali deprompta: Corpora defunctorum cælo donata non ob id in honestius tractanda, quod huic vel illi privato ratione vilis alicujus debiti nondum satisfactum *Conf. Coll. Jur. Argent. ad Tit. ff. de Sep. Viol § 12. in fin.* Cadaver itaque humanum, quod anima post se in abitu ad cælum relinquit, pie condendum, dum post promissam ei in sacris resurrectionem animæ denuo jungatur juxta dict. *Hjob. 19. vers. 25. seqq.* Non obst. eis quæ jam diximus quod vivi aliquando debitores cum maximo sui incommodo, pro debito arrestari vel incarcerari possint, cadaveris enim longe alia ratio est, illudque à tali vinculo omnino solutum per  
ratio-



rationes jam alleg. & supr. §. 1. Vid. Peck. d. C. 5. n. 23. Non enim indulgendum est malitiæ creditoris qui ex tali actu à cadavere solutionem consequi non potest. Nec obst. (2.) Quod debitor ex pacto ad carcerem obligare se possit, adeoque valere detentionem cadaveris, tantum hoc casu, si debitor ante obitum jusserit, eamque creditori permiserit; Quia pactum ejusmodi illicitum est inter debitorem & creditorem, jam enim post mortem corpus humani plurimum interest, universæ nimirum Reip. non solius debitoris vel heredum, quod debitor ante obitum suum per pactum in detrimentum aliorum & Reipubl. mutare non potuit l. 7. §. 7. 12. 14. 16. ff. de Pact. Gail. de Arrest. Imper. C. 11. n. 29. si enim moriens contra legem vel jus disponat, ultima ejus voluntas servanda non est l. 55. ff. de Legat. 1. arg. l. 27. ff. de Condit. Inst. Gail. d. l. 1. & l. 2. Obs. 145. n. 11. Denique vel ex hac ratione cadavera ob debitum non molestanda, quia obligatus ex delicto, & ad pœnam corporalem sustinendam condemnatus, si interea moriatur, non punitur, sed pœna aboletur juxta l. Defuncto. 6. ff. de Publ. jud. Quidni ergo & is, qui ex contractu alteri obligatus, & vivus per cessionem bonorum liberati poterat, etiam post mortem liberandus sit, etiamsi nihil superfit, unde creditoribus satisfiat, & quanto magis si tantum adhuc superfit ex bonis defuncti, quo illi suum consequi possint, defunctus non molestandus?

## APHOR. XIV.

Posset equidem latius ex variis historiis temporumque monumentis hic deduci, quam impium sit, sepulturæ jus non modo piis sed & improbis denegare, sed ut brevitati studeamus, ea quæ ad historiam, pertinent, hic transeo, & statim ad subjectum me confero seu illos quos prohibitio d. l. 6. cum Auth. seqq. C. de Sep. Viol. concernit. Est verò illud duplex, vel pars impetrans vel judex arrestum decernens, si sc. in specie à magistratu cadaver ob debitum detineri permittatur, & sic cadaver



detinens puniendus, & quidem creditor ex quacunque causa indistincte, sive sumas nomen creditoris in angustiori significatione uti sumitur *in l. 2. §. 1. ff. de Reb. Cred.* pro eo solum qui ex mutuo petit pecuniam vel aliam rem fungibilem sibi restitui, sive latius pro omni eo, qui ex quacunque causa fidem alicujus secutus est *l. 10. 11. & 12. ff. de V. S. l. 16. §. 2. Qui & quib. ex caus. manum*: Etiam illum teneri creditorem dicit Farinacius qui de usuris saltem agere intendit *Pr. Crim. L. 1. Tit. 3. q. 20. n. 140.* sed puto hunc magis condemnandum esse, quam qui sortem persequitur, cum saltem agat de lucro captando, & ob id maximum scelus perpetrare non erubescat, ille verò qui de sorte agit, de damno vitando certat, ideoque ei magis ignoscendum foret, quamvis uterque puniatur, ut vix aliqua dubitandi ratio in usurarum creditore subsit, quam tamen præsupponere videtur *Farian. d. l.* Nec interest an ipse creditor, an alius ejus nomine prohibitioni contraveniat, cum quod quis per alium facit, id ipse fecisse existimetur, modo quia alieno nomine id egerit, ejus rei speciale mandatum habeat, ad hunc sc. effectum ut mandans ipse puniri possit, quia mandatum generale in rebus altioris indaginis præcipue autem in delictis non sufficit. *Vid. l. un. §. 2. ff. si quis jus dic. non obtemper.* cum regulariter factum alicujus tertii nemini præjudicare debeat *Mev. de Arrest. c. 7. n. 23.* Heredes verò creditoris illius, qui defunctum aliquem ob debitum arrestari fecit, non tenentur, nisi lis cum defuncto contestata sit, est enim actio mere pœnalis *arg. l. 20. 26. ff. de Pœn. l. 22. c. eod. l. 11. §. 1. ff. de R. J.* Creditor cessionarius sive suo, sive cedentis nomine nomen cessum per detentionem cadaveris exigere intendat, hoc delicto ejusque pœna tenetur ob generalitatem *d. l. 6.* Pluribus delinquentibus, pœna de singulis sumenda *arg. l. 34. ff. de Injur.* nam & hic injuria subest. *d. l. 6. c. de Sep. Viol. ibi injuriam fieri reliquis & c.* Sed excusandi sunt illi qui pœnitentia ducti à facto desistunt, quamvis non in totum *l. 17. §. 1. de Ædil.*



*de Ædil. Edict. l. 65. de Furt.* Ex hoc quoque quod condemna-  
tum ex hoc delicto sequatur infamia puto certo modo excu-  
sandos esse proximiores defuncti v. g. uxorem, liberos &c. nam  
horum famæ regulariter parcendum *arg. t. t. c. de Rei uxor. act.*  
*§. 2. I. de Susp. Tut. l. 1. §. 5. de Obseq. par. & patr. prest.* quod ta-  
men de sola infamia intelligendum, reliquis enim pœnis, v. gr.  
ut actione cadant, alterum tantum restituant &c. eos æque sub-  
jacere ac extraneos, & ipsa ratio & generalis legis verba dicti-  
tant, cum hi præ aliis famam defuncti conservare teneantur ex  
obligatione quadam naturali & quidem majori quam qua alii  
*Vid. §. pen. infr.*

## APHOR. XV.

De vasallo quæritur si cadaver Domini ob debitum detine-  
at, an causa sufficiens sit, ad privationem feudi? Quod utut ne-  
get *Rosentb. de Feud. c. 10. Concl. 21. n. 14.* ex eo quod *l. 6. c. de Sep.*  
*Viol.* ubi præcipua sedes hujus materiæ seu prohibitionis, non  
alia pœna præter annulationem actus gesti dictetur, hancque  
injuriam non atrocem esse dicat, puto tamen quia pœna satis  
aggravata. *in Nov. 60. c. 1. ex ratione ibid. addit.* ne dubium qui-  
dem videri, quin detentio seu arrestatio cadaveris pro injuria  
atroci reputanda sit, cum præter alias pœnas huic delicto statu-  
tas etiam infamiam irrogari velit Imperator *in d. Nov. 60. c. 1.*  
quam autem injuriam infamia sequitur, non inter leviores refe-  
renda. Ergò & consequenter feudo privandus vasallus, qui con-  
tra Dominum tale quid molitur, nam hujus persona sancta de-  
bet esse vasallo etiam post mortem fatente ipso *Rosentb. d. l. n.*  
*13.* Porro creditores *d. l. 6.* prohibitio concernit omnes, quibus  
vel pure vel sub conditione vel in diem, debetur, multoque  
magis puniendi hi, cum quoad effectum agendi creditores huc-  
usque ne quidem sint *l. 8. 10. & 14. ff. de V. O.* nam spem quoad  
veros creditores adhuc incertam fovent *Vid. §. 1. I. de V. O. §. 25.*  
*de Inut. Stip. l. 26. in fin. de Stip. Serv. l. 13. C. de Contr. & Comm.*  
*Stip.*



*Scip.* Item si illi in cadaver peccent, quibus defunctus naturaliter tantum debebat, qui plane creditorum nomine jure civili non veniunt *l. 10. ff. de V. S.* cum obligatio naturalis sola nullam producat actionem, eoque minus admittendum, ut quod alicui ex hac obligatione debetur, illicite persequatur, cum nec licite quidem de eo agere possit. Sed quaeritur ulterius: Anne creditores, qui in concursu privilegio praelationis muniti, illius privilegii gratia excusandi sint, si cadaveri arrestum imponi petant? Resp. & cum nec hic lex distinguat inter creditores privilegiantos & qui tales non sunt, ideoque dispositioni legis standum erit simpliciter donec exceptio probetur, cujuscunque etiam classis creditor sit, sive primæ sive ulterioris nam nemo privilegio suo uti debet in alterius injuriam & detrimentum *arg. l. 2. §. 16. ff. Ne quid in loc. publ. Gotbofr. ad l. 3. ff. de Const. Princ. Ul- S. 16. ff. Ne quid in loc. publ. Gotbofr. ad l. 3. ff. de Const. Princ. Ul- terius notandum, quod non solum creditores defuncti, sed & creditores heredum intra tempus luctus ab omni debiti exacti- one sub pœna arcentur. Ratione enim cujuslibet debiti, tam quod defunctus, quam quod ipsimet heredes contraxerunt, in- tra novem dies, (de jure Saxonico intra 30. dies *Schneidew. ad §. 1. 1. de Interd. n. 46.*) ab omni inquietatione, exacti- one, vexa- tione, executione & similibus immunes sunt *Nov. 115. c. 5. Peck. de jur. Sist. c. 10. n. 10.* quod tempus illis ad lugendum indultum, quod quidem ad mores Paganorum refert *Perez. ad Tit. c. de Sep. viol. n. 8. & 9.* non tamen hoc improbandum, cum & S. Scri- pturæ conveniat mortuos lugeri *Vid. 1. Thessal. 4. v. 13. Syrac. 38. v. 16. 17. 18. c. 22. v. 10.* & inter Christianos alicubi majus spatium ad lugendum conceditur, uti de Saxoniam dictum, ubi 30. dies conceduntur, & quamvis tantum temporis spatium, sc. novem dierum, alicubi heredibus non concedi, idque moribus non ob- servari dicat *Perez. d. l.* sed quod heredes prius conveniri pos- sint, de eo tamen merito dubitandum, nec enim perversa con- suetudo alicujus loci statim abrogationem juris bene constituti indu-*



inducit, imò nec eapropter, si talis consuetudo alicubi irrepserit, rationabilis, & fatente ipso *Perez. d. l.* statim approbanda est, sed magis pro facto quam pro jure habenda. Porro ne quidem is creditor arrestum in cadaver petere potest, qui ex instrumento guarantigiato vel debito maxime liquido agit, & qui ex sententia, quæ jamdudum in rem judicatam transiit *Peck. de jur. Sist. c. 30. def. 22. n. 7.* quoniam eo ipso, quo lex vetat aliquem inquietari, censetur etiam prohibere executionem *Peck. d. l.* Imò etiam si debitum sit ex causa infirmitatis ipsius defuncti, nullum enim debitum tam liquidum esse poterit, quod sepulturam impedire debeat. *Farin. q. 20. n. 141.* Hospites quidem & caupones inter creditores maxime privilegiatos refert, *Id. Peck. c. 3. n. 2.* adeoque illis pro consumptis jus retentionis ac arrestationis tribuit, cum publice interfit caupones esse, qui hospites & extraneos recipiant. Verum inde deducitur quidem, hospites maxime privilegiatos esse quoad debitores vivos adhuc, & solvere nolentes, cum in illis periculum fugæ metuendum sit, non autem hoc inde sequitur, quod si apud eos moriantur, cadaver ejusmodi debitoris loco pignoris retinere possint, donec ipsis satisfiat. Sed quid si magistratus vel judex loci impiam ejusmodi detentionem cadaveris approbet, eamque per decretum arrestationis confirmet, numme hoc casu securus erit creditor & liber ab omni pœna, eo quod judicem habeat facinoris sui conscium & approbantem? & nihilominus pœnæ obnoxius manet creditor, cum & judex seu magistratus speciatim hoc casu puniendus sit, ac iniquitas utriusque statim ab initio manifesta *Vid. Nov. 60. c. 1. in fin.* De sociis, quæritur, si alter eorum debitum commune tali modo exegerit, an uterque teneatur, an alteruter tantum pro rata actione cadat, alterumque tantum restituere cogatur *juxta d. Nov. c. 1.* Affirm. posterius. Nam utut socii in omnibus fere æquales sint, quoad lucrum & damnum, tamen id non procedit in delictis & pœnalibus altero sociorum non consentiente, ne innocens pœna afficiatur ob delictum seu culpam alienam, etiam si sint socii omnium bonorum *l. 52. §. 17. 18. ff. Pro socio l. 53. & 57. eod.* Non obst. quod lucrum, quod alter sociorum ex delicto tertii, per competentem sc. & institutam actionem con-

E

secutus



secutus est, commune sit, *l. 52. §. 16. & fin. l. 73. ff. Pro Socio.* Nam de omni quidem lucro honeste & licite quæsito socius participat, de nullo autem facto inhonesto seu delicto socii tenetur. *l. 71. l. 5. §. 1. ff. eod. Dixi, altero non consentiente.* Si enim uterque in delictum consentiat ex communi fiet satisfactio *l. 55. ff. eod. arg. l. 1. §. 14. ff. de Vi & vi arm.* Idem dicendum de litis consorte qui pro consorte egerit, ut ut enim negotium sit commune, tamen uno delinquente non simul pœna erit communis ex jam alleg.

## APHOR. XVI.

Hactenus de persona creditoris qui arrestum in cadaver decerni petierit, vel illud propria autoritate ob debitum detinuerit. Sequitur ut dispiciamus objectum seu cadaver ipsum, quod si detineatur, verè crimen arrestati cadaveris commissum esse, dici possit. Pertinet huc omne cadaver humanum, quod non specialiter exceptum, ne id à quiete publica abstrahatur prætextu aliqujus debiti quantivis; Cum enim iniquum sit ab executione processum ordiri, *juxta reg. supr. §. 13. alleg.*, circa illos qui vivi adhuc & ab injuria defendere se possunt, ipsa naturalis ratio dicitur eò magis honeste tractanda esse corpora defunctorum, quæ post mortem ab omnibus ejusmodi mundanis liberata. Quæ ratione enim sacramentorum usus viventibus permessa fuit, eadem & mortuis sepulturæ communio concedenda est *arg. Clem. 1. de Pœnit. & Remiss. c. 2. X. de Furt. cap. Super eo. de Heret. in 6. Covarr. l. 2. Var. Resol. C. 1. n. 11. Menoch. de Arbitr. jud. quest. l. 2. Cas. 285. q. 37. n. 2. 3. 4. seq.* Sed quid si corpus integrum non amplius sit salvum, forsitan quod post obitum in loco aliquo remoto à bestiis ferè consumptum reperitur, annæ reliquæ, si quæ sint, eadem ratione terræ matri tradendæ? Quod omnino affirmandum, etiamsi nil, præter ossa quædam supersit *arg. l. 2. §. 2. & 5. ff. de Relig. l. 8. ff. eod.* Nam eadem ratio quæ in toto, eadem & in parte locum habet, cum nullum hominis membrum hac in parte indignius altero dici possit; Quod autem de corpore humano dicitur, de solo exanimi seu cadavere intelligendum, viventes enim humari, major adhuc ratio naturalis impedimento est. Hinc quoque jure Civili Romano uxor gravida sepeliri prohibita, antequam partus ei excideretur, ne hic

vividus



vivus in utero pœna afficiatur, quam non promeruit, five mater in reatu, five alias vitam finierit *Vid. l. 2. ff. de mort. infer.* Volunt tamen DD. quandoque in exemplum pœnam ejusmodi dictari posse, ut quis vivus in terram defodiatur, si sc. crimen sit atrox & delicta atrociora sint admodum frequentia v. g. in infanticidio *per Const. Crim. art. 131. vers. Wo aber solches Ubel ic.* Utrum verò talis pœna Christianæ justitiæ conveniat, dubito: Quantum enim fieri potest, in omni pœna vitanda talis exacerbatio, quæ ad desperationem facile quenquam deducere posset, fatente ipso Legislatore *in d. Const. art. 131. verbis paulo antecedentibus; Ueber das rinnen Verzweiffelung verhüten ic.* Q. An & illorum corpora, quibus & alias honesta denegatur sepultura, detineri ob debitum possint? Resp. Nec illa, licet enim non tanti intersit eorum corpora detineri, cum & alias honesta sepultura priventur, quia tamen ratio *ind. l. 6.* generalis est, & solennia tantum exequiarum non ipsa sepultura talibus adimenda, negandum potius, arrestum tali casu in cadaver decerni licitum esse, utut pœnis *Nov. 60. C. 1.* eum præcise subjacere non existimem, qui horum cadavera ob debitum detineri fecerit præsertim si tale quid contigerit circa cadaver banniti, hic enim & vivus adhuc inique à nemine petitur *Vid. Ord. Cam. P. 2. Tit. 9. §.* So jemand ic. adeoque nec mortuus injuriam patitur, & horum cadavera qui violant, arbitrarie puniendi *Conf. Farin. Pr. Crim. L. 1. Tit. 3. q. 20. n. 130.* De cetero, quorumcunque cadavera violare iniquum est, ex quocunque etiam debito defunctus fuerit obligatus, cum lex simpliciter disponat, cui inhærendum, est etiam si maxime inops quis moriatur, nec ulla unquam spes sit ex illis, quæ defunctus post se reliquit, creditoribus satisfieri posse, quia ut supr. dictum, ex reliquiis corporis humani nemini satisfiet, aut satisfieri æquum est, cum cadaver nec esui nec usui cuiquam esse possit, si reliqua bona non supersint. Quod extendit *Farin. d. l. n. 141.* etiam ad cadaver Judæi, de quo tamen dubitari posset, cum æque sint extra Ecclesiam Christianam quam excommunicati *vid. infr. §. pœn.* imò nunquam intra eam vixerunt, quod quidem non eò extendendum quasi his plane sepultura non debeat, sed saltem actionem injuriarum non facile competere ju-



dei heredibus contra detinentes arrestantesque cadaver, non solum quod hi aut raro aut nunquam sint extra numerum illorum qui usurariam pravitatem manifestò exercent *vid. infr. §. pen. sed & preterea arg. l. Sepulchra hostium 4. ff. de Sep. Viol. 36. ff. de Relig. cum & judæi Christiani nominis hostes perpetui existant.*

## APHOR. XVII.

Effectus prohibitionis est, ne defuncti heredes tempore luctus, quod antiquis sacrum credebatur, molestentur quovis modo, sive id fiat cadaver detinendo, vel vexando aut exigendo vel ipsum debitum, vel ejus nomine pignora & fidejussiones *l. 6. C. de Sep. Viol. Nov. 115. C. 5.* vel rebus defuncti propria autoritate signacula imponendo *Nov. 60. C. 1. pr.* sive heredem proprii debiti causa in jus vocando *l. 3. ff. de in jus voc. Conf. l. 4. §. 2. ff. Si quis caut. in jud. sist. caus. fact. l. 1. §. 6. de Injur.* vel alias reliquias defunctorum injuriando *l. 3. §. 4. de Sep. Viol.* Non solum enim heredem, sed & ipsum defunctum injuria tangit, quanquam hic facere injuriam nemini possit, pati tamen eam potest a<sup>l</sup> aliis *arg. l. 3. §. 1. & 2. ff. de Injur. l. 1. §. 4. & 6. eod.* Per heredes hic intelligimus quemlibet ex persona defuncti proximè læsum *Vid. Auth. Sed neque C. de Sep. Viol. v. g. uxorem, liberos, fratres, cognatos, affines &c. Nov. 115. C. 5. §. 1. Molin. de Just. & Jur. Tom. 1. Dis. 216. pr.* Nam consanguineorum defensionem innatus animi affectus dicitur, quod si illi non adsint, pertinet ad officium Magistratus sepulturam procurare, vel etiam ad cujuscunque volentis, (qui si eam procuraret, meretur laudem apud Deum *Stuck. Conf. 24. n. 1. 2. 3. seqq. n. 43. 62. 64. & 66. ibid.*) etiam heredibus absentibus & ignorantibus, cum liceat ignorantis conditionem meliorem facere, imprimis quoad sepulturam, ubi simul Reip. interest (jure autem Saxon. consensus heredum adhibendus est *Vid. Land-Recht L. 1. art. 22.*) Non autem alius sepulturam procurare potest, si heres prohibuerit, ac plane non intersit eam ab alio procurari, cum ipse sepelire velit, ubi tamen in casu dubio magis æquitatis quam stricti juris rationem habeat judex *Stuck. d. l. n. 103. 104. 105. 143. seqq.* Pœna huic delicto statuta est varia; Quæ in *d. l. 6. C. de Sep. Viol.* ab Imper. Justino proponitur, mitior est, quam quæ à Justiniano & aliis.



lris. Ibi enim 50. saltem libris auri multatur contraveniens (quam  
 pœnam ex delicto, si non habeat in ære, luat in corpore *d. l. 6. in  
 fin. & Perez. ibid. n. 7.* nam in civilibus tantum, non in crimina-  
 libus debitor per bonorum cessionem liberatur) & satisfactio sive  
 per fidejussores, sive per pignora, quam heredi extorsit, tollitur,  
 negotiumque in pristinum statum profus deducendum *Vid. Cu-  
 jac. ad Nov. 60. C. 1.* Novellarum autem jus Justiniani gravio-  
 rem pœnam in transgressores statuit, nimirum (1.) ut priventur cre-  
 dito suo, & ab actione sive justam habent, sive injustam, peni-  
 tus cadant, quo casu & fidejussores liberantur defuncti, quoniam  
 tantum obligatio accessoria est, cessante itaque causa principali,  
 cessat quoque accessorium §. 5. *l. de Fidejussor.* sed reliquæ actiones  
 utpote injuriarum & ad alterum tantum non fidejussori sed here-  
 dibus competunt, quia horum majus versatur interesse, nec enim  
 creditor fidejussorem injuriare voluisse censetur, cadaver defun-  
 cti arrestando, pro quo ille fidejusserat. Ex eo potest dici, si fide-  
 jussorem, vel pignora dederit defunctus, pro debito, eò magis  
 heredibus dandam esse hanc actionem de cadavere seu jure sepul-  
 turæ violato ob debitum, quia etiamsi à defuncto nihil consequi  
 potuisset creditor, tamen per fidejussorem vel pignora de debito  
 secutus erat (3.) Bonorum pars tertia ejusmodi creditoris Fisco  
 applicatur. (4.) Infamiam creditores incurrunt *Nov. 60. C. 1. Auth.  
 Item qui domum. & Auth. Sed neque C. de Sep. Viol.* cujus prohibitio-  
 nis effectus eò extenditur, ut ne quidem appellatio recipienda  
 in hac causa sc. quoad effectum suspensivum, quia res est moram  
 seu dilationem non ferens *Vid. Schneidew. ad §. 1. l. de I. de Interd.  
 n. 41. Barbosa. ad cap. 5. X. de Sepult. n. 2. & 3. Durand. Spec. jurid. L. 4.  
 P. 3. Tit. de Sepultur.* ubi dicit, judicium de Sepulturis eodem die  
 peragendum esse, ne cadaver diu maneat inhumatum n. 10. simul-  
 que tractat quando actio, quando interdictum hoc casu compe-  
 tat & ad singulos casus format libellum. Quod si tamen here-  
 des nimis profuse & plus quam bona defuncti permittant in fu-  
 nus impendere velint, creditores non culpandi sunt, si hoc impe-  
 dire studeant, sumptus enim pro conditione & facultatibus de-  
 functi impendendi sunt non nimii, nec ordinariè nimis exigui



arg. l. 14. §. 8. & 10. ff. de Relig. cum alias severissimè prohibitum esset quicquam creditores moliri, quo sepultura protrahi posset, & merito quidem: Quem enim, inquit Justin. Imper. in Nov. 60. C. 1. natura hominis non suffundit, is profecto dignus, ut & in bonis & existimatione & omnibus aliis multetur, ad quæ verba addit *Matth. Stephan. ad d. Nov. n. 3.* quasi Imperator dicere voluerit eum satis puniri non posse, imo nec hominem censendum esse, qui videns proximum DEO animam suam redidisse, inscius qua hora & ipse vocandus sit nihilominus audeat cadaver vel nomen defuncti laceßere, gravissimaque esse delicta omnium, quæ naturam impugnent *per l. Manichæos C. de Heret.* quam constitutionem Imperator suo tempore non solum in Orientali Imperio valere voluit, sed eam quaqua versus extendit ad omnes omnium locorum Magistratus, quibus executionem pœnæ severissimè injungit, & si quid horum, neglexerint, 30. libris auri eos mulctari vult. *d. Nov. 60. C. 1.* Non enim moribundus anxietate animi morbis alias compressus, creditorum interpellationibus molestandus, multo minus cadaver insepultum relinquendum cum defunctus jam ex his terrenis ad superos evocatus sit rationum reddendarum gratia, & sic duobus judiciis eum stare iniquum foret *Id. d. l. n. 5. §. unde & ad Nov. 115. n. 24. 25. & 26. Rittershus. Expos. Nov. P. 13. C. 6.* Et has pœnas adhuc hodie obtinere & in summo vigore esse testatur *Gail. de Arrest. C. 11. n. 29. Boer. Decis. 287.* Denique cum interpellatio creditoris vel judicis tempore exequiarum facta heredem non constituat in mora *Farin. d. l. n. 141. 142. seqq.* concludo, nec illum etiam si solenniter citatum & emanentem, tanquam contumacem condemnandum esse cum justam habeat excusationem *l. 3. ff. de in jus voc.*

## APHOR. XIIII.

Ex his satis constat quam gravi pœna jura nostra coerceri velint eos, qui morientium facultates pretextu debiti alicujus aggredi non erubescunt, quibus accedit, quod & alii Imperatores majori adhuc severitate crimen hoc interdixerint; Sic enim invenitur Manuelis Comneni Imperatoris Constantinopolitani constitutio corpori juris annexa, quæ sub pœna corporali, truncationis, membrorum sc. publicationis bonorum & diuturni exilii prohibet,



hibet, ne Episcoporum morientium bona ab exactioribus diripiantur, quæ utut extravagantium nomine venire, & sic nullam juris auctoritatem habere videatur, tamen cum non minus pia ac reliquæ, sed cum illis maxime conveniens, eademque prohibendi rationem præsupponat, sane non prorsus rejicienda. Constitutionis illius verba, quoniam proluxa satis, pauca saltem huc referre lubet: *Res quæ in DEI contemptum & ad legum naturæ infirmationem ab iis, qui, ut ajunt, neque DEI vocem, neque hominum vindictam formidant, ut est verisimile, patrat, non ferenda omninò meo Imperio visa est, cum ad ejus aures pervenisset: Ei enim relatam est, in excessu à vita eorum &c. Debente scire eo, qui ad infirmationem alicujus eorum, quæ à præsentis Imperii mei constitutione decreta sunt, processerit, quod etsi Deus in tali ejus tamque audaci incepto in præsentia siluerit, omninò in futurum dignum ejus supplicium reservans, Imperium tamen meum, acerbius eum in præsentia aggredietur, pœnis eum corporalibus subjiciens & suorum membrorum truncationibus, bonorumque publicationi & diuturno exilio &c.* Et quamquam hæc constitutio de mortuis saltem Episcopis concepta videatur, ex ipsis tamen verbis constitutionis prohibendique ratione generali apparet, Imperatorem quocunque modo violationem juris sepulturæ prohibere voluisse; Simili modo & in *Nov. 60. Cap. 1. pr.* videtur quidem Imperator de illis tantum loqui, qui propria auctoritate id intendunt, quo sibi de debito satisfiat, cum verò hoc de sola signaculorum impositione intelligendum in *pr. d. C. 1.* inter alias violationes saltem exempli loco adductâ, non dicendum, ideò cessare prohibitionem, si detentio cadaveris à Magistratu petatur. Etenim in *Nov. 115. C. 5.* in genere quæcunque molestatio circa jus sepulturæ prohibetur, ibique dilucidè satis explicat Imperator, quousque prohibitionem suam extendi velit, & magis in *Nov. 60. C. 1. in fin.* ubi & magistratus ad ejusmodi quid conniventes, puniri jubentur, quanto magis illud locum habebit, si magistratus ad id factum concurrat & auctoritatem suam interponat arrestum in cadaver decernendo, sive id faciat directè, sive per indirectum heredibus solutionem injungendo, antequam cadaver sepulturæ tradatur. Similem quoque legem de cadaveribus non arrestandis Carolus V. inter leges Hispanicas retulisse sub







retici etiam si post mortem de hæresi demum constare incipiat *Barbos. ad cap. 11. X. de Sepult. n. 6.* Sub quibus autem non comprehenduntur qui ex tribus religionibus in Imperio receptis, quamcumque velint, amplectuntur, utpote qui inter se invicem pro hereticis non habendi sunt *Vid. Dn. de Rbez. Inst. Jur. Publ. L. 2. T. 1. §. 31. & art. 5. §. 35. Instr. Pac.* sed consuetudines hic variant, & praxis Germaniæ in nonnullis præsertim Pontificiorum locis contrariatur (5.) *Manifesti raptores, nisi ablata restituerint c. 2. X. de Raptor. Barbos. de Offic. & Potest. Paroch. P. 3. C. 26. n. 44.* (6.) *Parrotida Menoch. de Arbitr. jud. quest. Cas. 387.* (7.) *Rei criminis Majestatis Vid. Finckelthaus. Concl. Sepult. 77.* (8.) *De cedentes introneamentis c. 1. X. de Troneant. Finckelth. Concl. 13. lit. C. Barbos. d. l. n. 45.* ubi id extendit ad omnes illos, qui in duellis, occumbunt, etiam si signa pœnitentiæ dederint, vel sequenti demum die moriantur; Aliud dicendum de his qui casu aliquo inopinato moriuntur *c. 11. X. de Sepult.* (9.) *Publicè Deum blasphemantes c. 2. X. de Maled.* (10.) *Autocheiri. c. 12. Caus. 23 q. 5.* Quod tamen de solis illis intelligendum, de quibus certò constat, quod se ex spontaneo proposito propter conscientiam alicuius notorii aut probati delicti occiderint *juxta Const. Carolin. art. 135.* Odiosa enim & pœnalia non facile sunt extendenda, & quousque ulla aliqua præsumptio superest in bonam partem, ea nunquam in odium alicujus detorquenda *arg. l. 25. ff. de LL. Conf. Barbos. d. l. n. 44. & ad cap. 11. X. de Sepult. quibus d. l. n. 53. addit Clericos notoriè concubinarios & quemlibet notoriè in peccato mortali decedentem Vid. n. 48. ibid.* De omnibus hisce *Vid. quoque Finckelthaus. Concl. Sep. 13.* ubi tale tractat, quando juxta ipsius opinionem nulla, quando inhonesta concedatur sepultura. Qui itaque labor cum ab aliis jam fufius peractus sit, eum ad manus sumere supersedeo & ad dd. Autores brevitatis causa me remitto. paucas saltem quæstiones coronidis loco addens, quæ huc facere videntur.

APHOR. XX.

Sic (1.) quæritur cum suppa dictum sit, quemlibet liberam habere sepulturæ electionem, an id indistincte verum? & Neg. Sed quilibet Parochianus in sua parochia sepeliendus, ad hoc, ne, quod pro officio sepulturæ huic Clerico debetur alter, accipiat; Sin secus fiat,

F

fiat,



42 DISS. DE PROHIBITA VIOLATIONE  
fiat, parochiani alieni etiam corpus jam humatum restituere te-  
nentur *Cap. 5. & 10. X. de Sepult. arg. c. 7. eod. Barbosa. d. l. n. 1. & 9. Q. (2)*  
Anne reliquiae alicujus de loco in locum transportari possint? Resp.  
Disting. Si saltem ad tempus cadaver, non perpetuae sepulturae, in  
monumentum aliquod illatum fuerit, posse illud transferri, idque  
edicto D. Severi cautum fuisse testatur *Ulpian. in l. 3. §. 4. ff. de Sep. Viol.*  
ita tamen ut hoc non sine permisso eorum, quibus permittendi jus  
est, fieri debeat *d. l. 3. l. 1. & 14. C. de Relig.* Si autem jam semel sepul-  
turae perpetuae traditum sit, non sine necessitate vel justa causa (ut  
puta ob metum, incursum fluminis vel hostium &c.) transferri posse  
*arg. l. 8. ff. de Relig.* Sic non valet testatoris voluntas injungentis he-  
redi, ut corpora filiorum effodiat & magnificentius condat, & nihilo-  
minus valet legatum sub hac conditione relictum, nam conditio il-  
la tanquam turpis pro non adjecta habetur *Sichard. ad Tit. C. de Relig.*  
*n. 4.* Quod si quis cadaver alienum in suum monumentum sine  
consensu illatum tollere vel ejicere velit, jussus superioris vel decre-  
tum Pontificis accedat necesse est *per l. Ossa 8. pr. ff. de Relig. Farin. L. 1.*  
*Tit. 3. q. 2. n. 5.* Hinc *Qv. (3.)* si jus sepulturae controversum sit inter  
aliquos, anne hoc casu Magistratus alterius heredes arcere possit à  
sepultura, decernendo arrestum in cadaver, usque dum constet, ad  
quem sepulturae jus in illo loco pertineat? Quod affirm. Quanquam  
enim non facile sepultura impedienda, tamen nec cui libet licet in-  
ferre mortuum ubicunque velit & ubi inferendi jus non habet *l. 7. ff.*  
*de Relig.* ideoque hoc optimo jure praecaveri posse existimo, si illud  
sit dubium, ne tamen quilibet privatus propria autoritate id agat,  
magistratus officium suum auctoritatemque interponat, hoc vero ju-  
diciam secundum supr. dicta §. 17. citissime & eodem die peragen-  
dum. *Qv. (4.)* Quoniam & supr. §. 19. dictum, quemlibet in pecca-  
to mortali decedentem honesta sepultura privandum esse, an id quo-  
que locum habeat, si atrox crimen alicui saltem imputatum, ante-  
quam verò de eo convictus vel confessus sit moriatur? Resp. Neg.  
Quia hoc crimen debet esse notorium, *ut ibid.* diximus cum enim  
hoc casu & alia poena cessent, etiam si de crimine commissio in ge-  
nere constet, & ante sententiam & executionem moriatur reus *l. 7.*  
*f. de Publ. jud. ibique Gothofr.* magis sanè privatio honestae sepulturae,  
quae



quæ in criminibus atrocioribus aliis pœnis tantum superaddita, hic locum non habebit, & multo magis hoc obtinebit, si crimen commissum esse adhuc incertum sit.

APHOR. XXI.

De cœtero supra memoratum Responsum juris hic subjungere placuit; Contigit nimirum non ita pridem in Academia N. mori Studiosum quendam in diversorio, cujus cadaver ob debitum hospes illius diversorii per magistratum loci arrestari fecit, idque detinuit in ædibus suis, donec sibi de debito per heredes defuncti fidejussoria cautio præstaretur, hinc super tribus hisce quæstionibus consulti J.Cti celeberrimi in Academia Heidelbergensi sequens Responsum juris dederunt.

*Quæstiones super quibus.*

1. Ob nicht besagter Gasthalter wegen Zurückhaltung des Defuncti, in pœnas Auth. Item qui domum. C. de Sep. Viol. zu verdammen sey?
2. Ob nicht die erpreste Caution secundum Auth. Sed neque. C. d. r. unkräftig und ganz nichtig/ und weilen das Geld von dem Fidejussore abgenöthiget worden/ ob dann solches entweder dem Fidejussori zu restituiren / oder zum wenigsten bis auf erfolgende Liquidation und Justification der Rechnung in loco tertio zu deponieren sey?
3. Ob nicht Heredes Defuncti Creditorem actione injuriarum zu belangen befugt.

RESPONSUM.

**N**achdem nun über diese Facti Speciem sampt beylagen N. 1. bis N. 7. Wir unser rechtliches gutachten abhandeln zustellen ersuchet werden. So finden wir nicht das diese drey Fragen einigen Zweifel in Rechten haben / noch etwas im Wege stehen sollte / daß sie nicht sämtlich ohne Bedencken mit Ja zu beantworten wären. Zumahl was die erste Frage anlanget / so ist diese Deinier und Arrestierung einer verstorbenen Leiche ein schweres und hartes Verbrechen / so unter die Crimina Publica gezehlet / und ex lege Julia de vi publica außdrücklich vindiciret und gestraffet wird.

*L. 5. pr. ff. ad l. Jul. de Vi publ. l. 8. ff. de Sep. Viol.*

Dann gestehet aber der Wirth selbst in seinem ersten Memorial N. 1. Daß als die Leiche des vorigen Tages habe wollen abgehohlet werden / solches mit zuthun etlicher gewissenhafter ehrlicher fürnehmer Leute / wie er sagt / verhindert worden sey / auch noch gar daß er solche Leiche bis zu Erstattung der geforderten Schuld behalten möge / durch solches öffentliche Memorial begehren dürfen / und wirklich bis zu geleisteter Caution



Den erblichenen Körper ohn geachtet alles Ansehens und Erbietens auff behalten. Welches dann zweitens bey allen Völkern für ein grausames und Barbarisches Beginnen gehalten worden / und beyhm Sophocle die Antigone als sie des Creontis Tyranny und Grausamkeit beschreiben wil / Ihn beschuldiget / daß er dieses Recht der Beerdigung / so ein Ewiges / und von den Göttern selbst verorduetes Recht sey / verhindert oder violieret habe / wte solches und viel andere Zeugnissen / das solche Verhinderung für die äusserste und höchste Grausamkeit allezeit gehalten worden / mit mehren angeführet werden von

*Grot. de I. B. & P. L. 2. C. 19. §. 1. 2. 3. Add. Covarr. L. 2. Var. Resol. C. 1. n. 10. ubi ait: Impium idesse apud Ethmitos, nedum apud Christianos, & quod nec ratio naturalis nec divina humanaque jura patiantur, cadaver debiti causa detineri &c. Idem late persequitur Peck. de jur. Sift. C. 5. n. 24.*

Zumahlten 3. ein jeder der Menschliche Empfindlichkeiten fühlet / billich ein größeres Mitleiden so wohl mit dem Verstorbenen als dessen nachgelassenen trauenden Freunden haben sollte / als denselben so die Schuld der Natur bezahlet / und mit dem Leben alle solche Beschimpff- und Bekümmerungen / und andere Fälle denen das Leben unterworfen abgelegt / nach seinem Tode wegen einer geringen Schuld noch zu arrestiren / und diese letzte allen Menschen gehörige und gemeine Schuldigkeit zu violiren.

Welches 4. auch die ersten Christlichen Kaiser so sehr abhorrirret / daß sie alle Hinderungen / wodurch die Beerdigung nur schwerer gemacht wird / pro summo naturæ dedeco e & opprobrio summaque inclementia gehalten und äusserst improbirret haben

*Vid. Nov. Leon. 53.*

So den. 5. bey denen sonderlich und für allen billich observirret werden sollte / so an frembden Orten und zumahl Studiorum gratia auf Universitäten sich aufhalten / und von der ihrigen Hülffe und Handreichung entfernet / versterben / und schwerlich jemahls geschehen / daß um einer blossen Wirthschafft Schuld / die über dem wie die Asten melden wider der Universität Statuta gemacht worden / ja noch nicht liquidiret und gestanden wird / der verstorbene Körper im Wirthshause aufgehalten sey.

Es ist dieses 6. in Rechten so ungereimt geachtet worden / daß man denselben so dergleichen verübt / verrückter Sinnen zu seyn præsumirret, und dessen sanitas mentis evidenter bewiesen werden müsse.

*per l. 27. ff. de Condit. Instit.*

Daß demnach auch 7. in den neuesten Rechten / billich ein solches unmenschliches Vornehmen mit gehörigen Ernst angesehen / und verordnet worden / daß ein solcher Verbrecher / alle sein Recht / so er zu fordern / verlieren / und die jenigen Straffen an Ehren / Leib oder Gut außstehen solle / welche erzehlet werden

*in l. 6. & Auth. Item qui domum in fin. & Auth. Sed neque C. de Sep. Viol.*

Welche Straffen den / daß sie noch heute in vollem Vigore stehen / und durch auß gültig seyn bezeuget. 8. Nebst dem in actis allegirten Richtero auch der berühmte und bekandte Gailius und sagt:

*Quod debitoris heredes impediendam sepulturam ex causa debiti actione injuriarum convenire & ad pœnas juris communis agere possint Gail. de Arrest. C. 11. n. 29. vers.*

*& idco Nicol. Bœr. Decis. 287. ubi suo tempore causam hanc agitatam refert?*

Wie



Wie dann auch 9. die Doctores Pragmatici in Decisionibus & Tractatibus suis practicis, dieses als ein übliches und gültiges Recht / daß solche Verbrecher ad pœnas ad. Authh. comprehensas gehalten sein / häufig anführen.

*Farin. Pr. Crim. L. 1. Tit. 3. q. 20. n. 139. & multis seqq. Menoch. L. 2. Arbitr. jud. quest. Cent. 4. Cas. 387. n. 16. seqq. Ripa de Pest. C. 4. n. 104. Decian. Tr. Crim. Tom. 2. L. 6. C. 40. n. 19. Covarr. d. l. Gram. Decis. 82. n. 2. seqq. Boer. d. Dec. 287. Coler. de Proc. Execut. P. 1. C. 6. n. 119. seqq. & P. 2. C. 3. n. 430. Pek. de jur. Sift. d. C. 5. n. 24. Berlich. P. 5. Concl. 47. n. ult. Rennem. Jurispr. Germ. membr. 3. Diss. 61. th. 29. & 31. Brunnem in l. ult. n. 5. ff. de Sep. Viol. & alii plures.*

Und 10. ohne dem was so klar und oft in Rechten versehen und wiederholet / art sich auch selbst so höchst straffbar / im übrigen der Natur und Billigkeit so gemäß / und fast ein allgemeines Völkler Recht ist / so lang für gültig und üblich gehalten werden muß / bis daß solches vel alia lege, vel contraria consuetudine abrogiret sey / klar und Rechtsgängig erwiesen worden. Und hindert nichts / wann schon diese Straffe nicht allezeit angesetzet oder gebeten worden / quia lex non usu non tollitur, etiamsi per mille annos in usum deducta non fuerit, ut DD. tradunt sed usu vel consuetudine contraria, quando petitæ sunt pœnæ & denegatæ, potuit enim fieri ut occasio nulla legis fuerit. vel nemo pœnas petierit, quod legem tamen non tollit.

Und erhelt 11. hiegegen nichts daß der Wihrt sub signo ☐ voegibt daß der Cörper auch nach dessen Absolg unbeerdiget etliche Tage liegen bleiben / weil dazu gehörige Anstalt erfordert wird / welche vor dem Absolg nicht können gemacht werden / und Deswegen eben diese detention des Cörpers daran schuldig ist.

Wiewol niger 12. daß der Wihrt N. Act. 1. anbringt / die Abholung des Cörpers / gereiche zu seines Hauses höchster Beschimpfung / und hätte man ihm in dem die Schuld zu liquidiren begehret worden / zum Betrüger und Verfälscher machen wollen / welches gar zu ungereimt ist / jemand seinen Todten / wohin ihm gefällt / abzuholen / und gehörige liquidation einer angeforderten Schuld zu begehren verbieten wollen / cuique enim jure suo uti licet.

Hierauff erfolgt nun die decision der übrigen Fragen / und zwar was die zweyte betrifft / ist in d. Auth Sed neque C. de Sep. Viol. ausdrücklich verordnet / daß wann vor der Begräbnis einige caution oder Bürgschafft gefodert wird / dieselbe ganz null und nichtig seyn solle und noch viel deutlicher.

*in l. 6. C. eod. da unter andern diese deutliche Verordnung stehet: Ea quidem que ante sepulturam facta sunt, vel exigendo, quod debitum esse dicitur, vel confessiones aliquas, aut fidejussorem aut pignora capiendo, penitus amputari precipimus. Redditis vero pignoribus vel pecuniis que solute sunt, vel absolutis fidejussoribus & generaliter omnibus in pristinum reducendis, principale negotium ex integro disceptari,*

Wozu aber nachgehends in d. Auth. Item quid domum. Diese Straffe hinbey gefügt worden / daß auch das principale negotium cashiret / und der Verbrecher aber seiner Forderung verlustiget seyn solle.

Und kan dem Wihrt nichts fürtragen / daß er vermeynen wil / er habe / nichts mit des Verstorbenen Bruder oder Anverwandten als dessen Erben / sondern allein mit dem gestellten Bürgen zu thun / welcher exceptioni vis & metus, renunciiret habe.



act 1143862

46 DISS. DE PROHIB. VIOLAT. JUR. SEPULTURÆ.

Unertwegen solches ganz irrig ist / und diese actiones alle ad fidejussiones cassandas, poenas exigendas & vindicandam injuriam sämptlich des Debitoris Erben und Anverwandten concediret seyn / zumahl dieselbe alle ex delicto prohibita detentionis & exactionis herkommen / quod delictum debitoris Hæredes persequuntur. Wie auch alle vor allegirte Rechts-Lehrer bezeugen / auch solches kein zweiffel hat / und dennoch dieselbe ad cassandam fidejussionem agiren, & solutum ex injusta causa vel ex lege condiciren oder repetiren und dem Bürgen restituiren können / zu geschweigen daß die renuntiation in Grund nichtig und unkräftig ist / illa enim renuntiatio eadem necessitate qua promissio ipsa extorta est.

Wie dann auch die dritte Frage ebenfalls in d. Auth. Item qui dominum. außdrücklich decidiret / und daselbst versehen ist / daß Sie Erben / ratione injuriarum in duplum, wann Sie wollen / oder auch communi actione ad æstimationem agiren können / uti id quoque testatur.

Gail. de Cap. 11. num. 29.

Welchem nach Wir dann nicht anders nach den Rechten erachten können / als daß die fidejussion gänzlich zu cassiren / der Wibr / was bezahlt ist / zusehender wieder zu geben anzuhalten / und dann ferner aller seiner Forderung verlustig zu ertheilen / dann auch wegen solches verbottenen Verfahrens mit denen in Rechten constituirten Straf-exemplariter anzusehen sey. B. N. W.

(LS.)

Daß dieses Responsum vorstehender factispec. und den Rechten gemäß sey / bekennen wir Dechand, Doctores und Professores der Juristen Facultät auff der Churfürstl. Universität Heydelberg / unter unserm hiebey gedruckten Facultäts Insiegel. Conclusum in Senatu Facultatis d, 11. Mart. 1681.

SOLI DEO GLORIA.



107  
110





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000

# KODAK Color Control Patches

3/Color

White

Magenta



Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



pora  
uti l  
non  
rect  
ad c  
lesti  
ad M  
les (C  
mur  
qui  
tia d  
ninc  
fus  
vent  
versa

